populo prebens iter, scilicet regni celestis". Unde dicit Gregorius[115]: "O
domine, pastores tui hodie mutati sunt in tonsores et in lupos, qui debent esse
sobrii, cottidie sunt ebrii, qui prelati, sunt pilati, qui casti, sunt incesti, qui
doctores, sunt seductores". Hec ille. "Ebrietas enim in alio crimen | est, in B212r
sacerdote sacrilegium", ut dicit idem Petrus[116]. Ad hoc Bernhardus in
exposicione regule Benedicti parte III capitulo III tractans illud Proverbii XXI
inquit[117]: Negligencia prelatorum tantam inordinacionem et confusionem
induxit, quod in eis est terra sursum et celum | deorsum, pedes sunt supra U58v
caput et facies retro, interiora effusa sunt extra. Deus ibi conculcatur et terra
deificatur, dyabolus honeste recipitur, Deus vero contumeliose repellitur. Terra
sursum est et celum deorsum, ubi terra celestibus preponitur, pedes sunt supra
caput, ubi viri spirituales despiciuntur, homines vero terrena sapientes ad
regnum temporale utiles in honore habentur, facies est retro, cum in operibus,
que videntur bona, pocius utilitas terrena intenditur quam merces eterna,
interiora effusa sunt extra, cum interna negliguntur et exteriora diliguntur,
Deus vero conculcatur et terra deificatur, ubi deficit caritas et regnat cupiditas,
dyabolus honorifice suscipitur et Deus contumeliose repellitur, ubi raptores et
usurarii cum honore recipiuntur et magnis expensis procurantur, boni vero
pauperes vel repulsam paciuntur vel male procurantur. Sic dicit Augustinus[118]:
Sobrietas in terram deponit aspectum, ebrietas autem obmisso pudore in-
verecundos erigit vultus. Valde turpe est, ut, quod non vincit homo, vincat
libido, et obruatur vino, qui non vincitur ferro. Per vinolenciam plurimi
| plurimeque a sancto pioque proposito exciderunt | et sui obliti amissis honoribus U59r B212v
ignobiles remanserunt et legibus paternis profugi vitam non ubi sumpserunt
finierunt; innumerabiles iugum dominacionis diu recusantes vinolencia in
alienum redegit arbitrium. Alexander omnium victor vino victus est, infiniti
vino impellente iniusta impiaque homicidia conmiserunt; quam plurime urbes
diu obsesse nec capte custodibus sompno vinoque sepultis ab hostibus
patefacte sunt et incendiis concremate! Ebriosus confundit naturam, amittit
graciam, perdit gloriam, incurrit dampnacionem eternam. Hec Augustinus in
libro De penitencia, et in epistola CXL et in libro De moribus ecclesie. Si ergo
secundum quod dicitur XLIIII distinccione capitulo ultimo (*cf. D.44 c.9–12,
Fr. I. 159*) laicis comessaciones dampnabiles sunt, multo magis sacerdotibus
imputantur ad yehennam. "Venter enim pingwis", ut ait Ieronimus[119],
"grossum sensum generat", cum sacerdotalis sensus econtra vigil debeat esse et

**1140** idem Petrus] ibidem Petrus *B* **1143** sunt supra] sunt *om. B* **1149** bona] bona esse *B* **1153** recipiuntur] suscipiuntur *B* **1156** erigit] erigitur *U* **1159** remanserunt] manserunt *B* **1167** XLIIII] XL *U*

[115] Gregorii Magni locum non invenimus.
[116] Petri Chrysologi *l. c.*
[117] Bernardi Claraevallensis locum non invenimus.
[118] Aurelii Augustini locum non invenimus.
[119] Hieronymi *Epistula ad Nepotianum De vita clericorum et monachorum* (MPL 22, 537).

tenuis, atque ideo edacitatis vicio obnoxii in sacerdotes ungi non debent. "Hii
enim", ut ait Gregorius in Moralibus[120], "qui adhuc viciorum bello subiacent,
U59r nequaquam per predicacionis usum | preesse debent". Ideo dicit Ieronimus in
Micheam prophetam, et ponitur XXXV distinccione, Ecclesie (*D.35 c.4, Fr. I.
131–132*): "Confusio et ignominia est Ihesum crucifixum pauperem et
esurientem farsis predicare corporibus et ieiuniorum doctrinam rubentes
buccas tumenciaque ora proferre. Si in apostolorum loco sumus, non solum
B213r sermonem eorum | imitemur, sed conversacionem et abstinenciam". Ideo
sequitur per eundem in capitulo II sequenti (*D.35 c.6, Fr. I. 132*): "Vinolentum
sacerdotem et Apostolus dampnat et Vetus lex prohibet. Sacerdotes, qui
ministrant in templo Dei, prohibentur vinum et syceram bibere, ne crapula et
ebrietate aggraventur et corda eorum. Sycera hebraico sermone omnis
pocio nuncupatur, qua inebriari potest. Quidquid inebriat, statum mentis
evertit. fuge similiter ut vinum. in quo est luxuria. Nolite, ait Apostolus,
inebriari vino, in quo "est luxuria. Qui altario deservit, vinum et syceram non
bibat, sponsa Cristi vinum ut venenum fugiat". Et ibi in capitulo Sexto die
(*D.35 c.7., Fr. I. 133*): Denique annunciavit Dominum Iohannes "non
manducans panem neque bibens vinum ". Qui enim Cristum annunciat, ab
omni viciorum incentivo servare se debet alienum. Et ex concilio Agathensi in
capitulo sequenti dicitur (*D.35 c.9, Fr. I. 133*): "Ante omnia clericis vetatur
U59v ebrietas, que omnium viciorum fomes ac | nutrix est. Itaque quem ebriosum
fuiise constiterit, ut ordo patitur, aut XXX dierum spacio a conmunione
submoveatur, aut corporali subdatur supplicio". Unde Ieronimus inquit (*D.35
c.4, Fr. I. 131*): "Ecclesie principes, qui deliciis affluunt et inter epulas atque
lascivias pudiciciam servare se credunt, propheticus sermo describit, quod
eiciendi sunt de spaciosis domibus lautisque conviviis et multo labore epulis
conquisitis. Et si vis scire, quo eiciendi sunt propter malas cogitaciones et
B213v opera sua, ewangelium | lege (*e.g. Mt 8, 12*): "in tenebras scilicet exteriores, ubi
erit fletus et stridor dencium". Unde dicitur XLIIII distinccione paragrapho
1 (*D.44, Gratianus, 1. Pars, Fr. I. 156–157*) "Sacerdos itaque de altario vivere,
non luxuriari, querat. Unde ait Ieronimus: Tibi, o sacerdos, de altario vivere,
non luxuriari, permittitur". Dicit glossa (*gl. ad D. 44, Grat., ad v. "vivere"*):
"Sufficere ergo debet clerico, quod vivat, id est sola necessaria habeat, et
artatur illa necessitas tantum ad victum et vestitum, ut XII q.1 Episcopus". Et
ex sexta synodo eadem distinccione (*D. 44 c.3, Fr. I. 157*): "Nulli licet clerico
tabernam aut ergasterium habere", id est secundum (*gl. ad D.44 c.3 ad v.*

**1171** non debent] non *om. U* **1178** sermonem eorum] eorum sermonem *B* **1182** aggraventur] agravantur *B* et corda] et *om. B, Fr.* **1184** ut vinum] et vinum *U* *ad. v.* ait Apostolus] Ephe *V U in marg.* **1185** et syceram] aut syceram *B* **1193** Unde Ieronimus] Unde ibidem Ieronimus *B* **1204** illa necessitas] illi necessitas *B* **1210** distinccione] distinccione dicitur *B*

[120] Gregorii Magni *Moralia* (MPL 76, 264).

*"ergasterium"*) glossam "stacionem". Et sequitur: "Si enim huiusmodi in tabernam ingredi inhibentur, quanto magis aliis ministrare in ea? Si quis vero tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur". Et sequitur ex con|cilio Kartha- *U59v*
giniensi III (*D.44 c.4, Fr. I. 157*): "Clerici edendi vel bibendi causa thabernas non ingrediantur, nisi peregrinacionis necessitate compulsi". "Sunt ergo conmessaciones non solum sacerdotibus, sed eciam laicis, noxie, qui festivos et solennes dies non aliter se digne celebrare putant, nisi conmessacionibus deserviant", ut ibi in dicto paragrapho 1 (*D.44 Pars I, § 1, Fr. I. 157*). Concordat Gregorius supra in capitulo Denique VI distinccione (*D.4 c.6, Fr. I. 6–7*). Et de kalendis presbiterorum habetur XLIIII distinccione ex concilio Vennatensi, ubi dicitur (*D.44 c.9, Fr. I. 159*): "Quando presbiteri per calendas simul conveniunt post peractum divinum ministerium et necessariam collacionem, non quasi ad plenam refeccionem, sed quasi ad prandium ibi ad thabernas resideant, ne per talia inhonesta convivia se invicem gravent, quia indecens est et onerosum". Et sequitur: "Nam de huiusmodi conventu Paulus
| Corinthios reprehendit, qui inconvenienter cenam Domini manducare con- *B214r*
veniebant. Sed et qui ad cenam Dominicam, id est ad collacionem verbi, sub occasione conveniunt, et ex veritate ventris causa coniunguntur, reprehensibiles coram Deo et hominibus habentur. Et ideo percatis omnibus, qui volunt panem in caritate in domo fratris sui simul cum fratribus, frangant, et singuli singulum bibere faciant, maxime | ultra terciam vicem populum non contin- *U60r*
gant, et sic ad ecclesias redeant". Unde sequitur ex concilio Laudicensi (*D.44 c.10, Fr. I. 159*): "Non oportet ministros altaris vel quoslibet clericos, aut eciam laicos cristianos, ex symbolis, que vulgus conmissalia appellat, convivia celebrare" – dicit glossa (*gl. ad D.44 c.9, ad v. "ex symbolis"*): "symbolus est, quando plures conferunt confectum ad convivia facienda". Unde sciendum secundum Gregorium, eadem distinccione, Convivia (*D.44 c.6, Fr. I. 158*), quod "tunc ex caritate veraciter fiunt, cum in eis nulla absencium vita mordetur". Dicit glossa (*gl. ad D.44 c.6, ad v. "mordetur"*):

"Quisquis[121] amat dictis absentis rodere vitam,
hanc mensam indignam noverit esse sibi".

Et sequitur (*D.44 c.6, Fr. I. 158*): "Nullus ex irrisione reprehenditur nec in eis inanes secularium negociorum fabule, sed verba sacre leccionis audiuntur: cum non plus, quam necesse est, serviunt corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, ut ad usus exercende virtutis habeatur. Hec itaque vos si in vestris conviviis agitis, abstinencium fateor magistri estis". Hec ille. Ad hoc De consecracione

**1213** tabernam *om. B* **1215** vel bibendi] aut bibendi *B* **1220** Gregorius] secundum Gregorium *B* VI distinccione *sic U. B* **1221** kalendis] calendis *B* **1222** Vennatensi *sic U. B* (*recte:* Nanetensi) **1223** collacionem] collacionem *B* **1224** ad thabernas] ad tabulas *B. Fr.* **1227** Corinthios] Corintheos *B* **1229** et ex] et *om. B* causa *om. B* **1231** fratris] patris *U* **1233** redeant] rediant *B*

[121] Cf. Walther, *Proverbia sententiaeque Latinitatis medii aevi*, n. 25526.

distinccione V (*De cons. D.5 c.35, Fr. I. 1422*): "Nullus presbiterorum nec in B 214 v amore sanctorum vel ipsius anime bibere aut alios ad bibendum | cogere vel se aliena precacione ingurgitare presumat, nec plausus et risus inconditos et fabulas inanes aut referre aut cantare presumat, vel turpia ioca vel urso vel U 60 r tornatricibus | ante se fieri paciatur". Dicit glossa (*gl. ad De cons. D.5 c.35, ad v. "tornatricibus"*): "Tornatricibus, qui vulvuntur ut torni". Et sequitur: "Nec larvas demonum ante se fieri consenciant, quia hoc dyabolicum est et sacris canonibus prohibitum", quinymmo "ante, quam temelici (id est, qui ministrant ludentibus) ingrediantur, surgere eos de convivio et abire debere" (*De cons. D.5 c.36, Fr. I. 1422*).

Septimo, cum quis ex excessu provocatur ad vomitum sive ante sompnum sive post. Ysaie XXVIII (*Is. 28,7*): "Hii quoque pre vino nescierunt et pre ebrietate erraverunt. Sacerdos et propheta nescierunt pre ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt pre ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt iudicium. Omnes enim mense eorum replete sunt vomitu sordiumque, ita quod non esset locus ultra".

Et ex hiis eciam patet de ramis eius, de quibus nota versum:

Non bona scur. multilo. adu. somp. pi. gula ministrat.

Primus est inepta leticia et non bona. Exodi (*Ex. 32,6*): "Sedit populus manducare et surrexit ludere". Sed

"ieiunus[122] venter non audit verba libenter",

et sic eciam incidit ad luxuriam et ad cantilenas lascivas ducendi choreas, ludendi in musicis instrumentis et cetera. — Secundus est scurrilitas, et est B 215 r inhonestas vel turpitudo verborum. Et dicitur a "scurro", quod | idem est quod U 60 v leccator vel dicens | nugas sive turpia. — Tercius est multiloquium, quia dum venter impletur vino et cibo, ligwa laxatur in verbo — Luce XVI (*Lc 16, 19–31*) de divite epulone. Et dicit Sapiens (*cf. Prov. 10,19*), quod in multiloquio raro peccatum deest. — Quartus adulacio.

Nam multi conantur magnatibus adulari,
ut in mensis eorum ventres possint impigwari.

— Quintus est inordinatus appetitus sompni, 1. Cor. XI (*1. Cor.11,30*) "et dormiunt multi" etc. — Sextus est indevocio et inhabilitas et pigricia ad leccionem, studium et oracionem, de quibus vide, ut supra. Et tantum de gula et eius speciebus.

**1250** inconditos] inconditus *U* **1251** aut referre] ibi referre *B, Fr.* **1252** ante se *corr. sec. Fr.*] aut se *U, B* paciatur] paciantur *U* **1253** vulvuntur] volvuntur *B, Fr.* **1254** ante se *corr. sec. Fr.*] aut se *U, B* **1258** Septimo *B*] Sexto *U* **1259** XXVIII] XXIX *B* **1262** replete sunt vomitu] repleti sunt vomitum *B* **1270** Secundus] Secundum *U* **1272** leccator] letator *B* **1276** magnatibus] magistratibus *B* **1279** inhabilitas] inhumilitas *B*

[122] Ibidem, n. 13085.

Bel vorat et Phinees, Esaw Ionatha quoque dives,
Amon, Iudea, nati Iob, Loth, Godolya,
Balthazar, Herodes, epulare timens Holofernes.

Tercia peticio oracionis dominice tangitur ibi "Fiat voluntas tua sicut in celo et in terra". Non ideo optamus fieri voluntatem tuam in terris, quia non potes, quod vis, in terris, cum dictum est (*Ps. 134,6*) "omnia, quecunque vo-|luit Dominus, fecit in celo et in terra, in mari et in omnibus abissis", sed *U60v* quoniam voluntas tua iusticia est, nec operaris in aliquos voluntates tuas, nisi ipse consenserit, propterea oramus, ut illuminati a te optemus facere | volun- *B215v* tatem tuam. Quia frequenter voluntas eius est nobis incognita, et quando cognoscitur, adhuc sumus impotentes et pigri ad implendum, idcirco petimus "fiat voluntas tua", id est inspires nobis voluntatem, virtutem et propositum ad implendum tuum beneplacitum, "quia[123] et homo Deum necessarium habet et Deus hominem ad iusticiam faciendam. Nam sicut homo non potest facere bonum, nisi haberet adiutorium Dei, sic nec Deus bonum operatur in homine, nisi homo voluerit. Sicut terra sine semine nec semen sine terra fructificat, sic homo sine Deo nec Deus sine homine iusticiam operatur in homine".

Additur autem "sicut in celo et in terra". "Beati[124] enim, qui sunt in celo, quia coniuncti inmediate regule divine, ideo non possunt deficere nec deviare a voluntate divina. Et ideo nos, qui sumus in via, qui non sumus sic coniuncti, petimus, ut divina gracia hoc suppleat in nobis, tenendo voluntatem nostram in | conformitate ad suam in omnibus operibus nostris, sicut conformantur illi, *U61r* qui sunt in celis". "Quamdiu regnum mixtum est in terra, fit quidem voluntas Dei in hominibus, sed non sicut in celo. In celo enim omnes angeli nullius faciunt voluntatem nisi Dei tantummodo, in terris autem non omnes faciunt Dei voluntatem. Iniqui enim dyaboli faciunt voluntatem. Cum ergo regnum dyaboli, hoc est iniqui, sublati fuerint de hoc mundo, tunc omnes, qui sunt super terra, solius Dei faciunt voluntatem, sicut angeli omnes in celo". Hec

**1282** *ad v.* Bel vorat] Dan. XIIII *U, B* (*Dan. 14,1–21*) et Phinees] et Phineas *B*] *ad hanc vocem*] primi Regum II *U, B* (*1 Reg. 2,12 sqq.*) *ad v.* Esaw] Gen. XXV *U, B* (*Gen. 25,29–34*) *ad v.* Ionatha] primi Regum XXIIII *U, B* (*1 Reg. 14,24–46*) *ad v.* dives] Luce XVI *U, B* (*Lc. 16,19–31*) **1283** *ad v.* Amon] 2ⁱ Regum XIII *U, B* (*2 Reg. 13*) *ad v.* Iudea] Exodi XXII *U, B* (*Ex. 32 passim*) *ad v.* Iob] Iob I *U, B* (*Job 1,4; 13–19*) *ad v.* Loth] Genesis XIX *U, B* (*Gen. 19,30–36*) *ad v.* Godolya] Ieremie XLI *U, B* (*Ier. 41,1–18*) **1284** *ad v.* Balthazar] Danielis *V U, B* (*Dan. 5, passim*) *ad v.* Herodes] Marci VI *U, B* (*Mc. 6,21–29*) *ad v.* Holofernes] Iudith XII et XIII *U,B* (*Iudith 12,1–13*) **1285** Tercia ... ibi *om. U* **1287** voluit Dominus] Dominus voluit *B* **1289** in aliquos] in aliquod *B* voluntates tuas] tuas *om. U* **1293** inspires] inspiras *B* **1303** operibus] temporibus *B* **1308** dyaboli faciunt] faciunt dyaboli *B*

[123] Pseudochrysostomi *Opus imperfectum in Matthaeum* (MPG 56, 712–713).
[124] *Postilla* Nicolai de Lira ad Mt 6,10.

*B216r* | Lira et Crisostomus super eodem verbo Matthei VI. Secundum autem Augustinum[125] sic: “Secundum spiritum celum, secundum carnem terra sumus. Oramus ergo, ut sicut in celo, id est in spiritu, ita in terra, fiat voluntas, ut caro et spiritus sit homo spiritualis”. Vel secundum glossam ordinariam[126]: “Sicut in angelis, ita in hominibus, sicut in iustis, ita in peccatoribus conversis, sicut mente servio legi Dei, ita et in carne: voluntas Dei est preceptorum custodia”.

Donum spiritus consilii, per quem voluntas Dei requiritur, ut a nobis impleatur, virtus misericordia, beatitudo misericordie consecucio, vicium oppositum avaricia. Avaricie autem due sunt species, quedam est circa bona temporalia, quedam circa spiritualia. Versus:

Dives atque sciens ex his se reddit avarum.

Quoad primum avaricia est sua illicite retinere et aliena concupiscere. Vel “avaricia est glorie sue quarumlibet rerum insaciabilis et inhonesta cupido”, ut *U61r* dicit | Hugo in libro De claustro anime[127]. Versus:

Quisquis amat nummum quem habet, non dat egenti,
vel non impletur, merito censetur avarus.

Et sic causatur dupliciter: primo circa bona temporalia, dum habentur. Et sic causantur tria pericula, scilicet amorem immoderatum et inordinatum, indebitam dispensacionem et pauperum modicam vel nullam conpassionem. Et habens non saciatur, sed semper plus cupit habere. – 2° circa bona dum non *B216v* habentur. et sic eciam precipitant in multiplex malum. | Versus:

Temptatur cupidus, vult non bona, noxia, mortem,
penas inferni, labitur ad vicia.

Involvunt enim in temptacionem, in desideria multa nociva inutilia, que mergunt in interitum et penas inferni et mortis eterne et in profundum cuiuslibet vicii, quia “radix omnium malorum est cupiditas” (*1. Tim. 6,10*). Et de hiis dicit Apostolus Tymothei VI (*1. Tim. 6,8*): “Habentes autem alimenta et quibus tegamur, hiis contenti sumus. Nam qui divites volunt fieri, incidunt in temptacionem, et in laqueum dyaboli et desideria multa et inutilia et nociva, que mergunt homines in interitum et perdicionem” etc.

Unde nota de ramis ex ea procedentibus versus:

Cor. tur., ob., indur., rixas, usura, ra., fur., fraus,
Sacri., mu., si., mul., be., propri. gignit avare.

Primo gignit turbacionem cordis et inquietudinem animi. Nam avarus, ut dicit Gregorius[128], habet | *U61v* tantam sollicitudinem congregandi, quod nec die

**1310** autem Augustinum] Augustinum autem *B* **1327** dupliciter] dupliciter dicitur *U* **1330** non saciatur] enim saciatur *U* **1334** que mergunt] demergunt *B* **1343** be.] de. *U* avare] avari *B*

[125] Cf. Aurelium Augustinum, *Sermones* (MPL 38, 380, 388, 401).
[126] Walafridi Strabonis *Glossa ordinaria in Mt* 6,10 (MPL 114, 101).
[127] Hugonis de S. Victore *De fructibus carnis et spiritus* (MPL 176, 1001).
[128] Gregorii Magni *Moralia* (MPL 76, 667).

nec nocte quiescit animus eius. Unde cum labore congregat divicias, cum timore possidet, cum dolore perdit. Et idem in quadam omelia inquit[129]: "Avarus hic ardet estu concupiscencie ac multiplici cura custodie et postmodum ardebit igne yehenne. Si potenciorem videt, timet raptorem, si inferiorem, suspicatur furem. Infelix tanta patitur, quanta pati timet". Ad idem dicit Boecius in De consolacione prosa V libri $2^{i}$ in fine[130]: "O preclare opum mortalium | beatitudo, quam cum adeptus fueris, securus esse desistis!" *B217r* Tu igitur, qui nunc contum gladiumque sollicitus pertimescis, si vite huius callem vacuus viator intrasses, coram latrone cantares. Unde Iuvenalis poeta[131]:

"Pauca licet portes argentea vascula puri,
nocte iter aggressus, contum gladiumque timescis,
et mote ad lunam trepidabis arundinis umbram,
cantabit vacuus coram latrone viator,
ibat et intrepidus fundens ad astra melos".

Et Seneca XVIII epistola[132]: "Nudum latro transmittit et in obsessa via pauperi pax est". Et LXVI epistola dicit[133]: Quisquis se multum fortune dedit, ingentem sibi maliciam perturbacionis fecit. Divicie enim faciunt indigere, quia homo indiget alieno presidio, quo pecuniam suam | tueatur, ne per violenciam *U61v* auferatur, ut patet per Boecium ubi supra[134]. Et sicut dicit Gregorius XXII Moralium[135]: "Magna est securitas cordis nichil habere concupiscencie secularis, nam etsi ad terrena adipiscenda cor inhiat, securum tranquillumque esse nullatenus potest, quia aut non habita concupiscit ut habeat, aut habita metuit ne ammittat. Et dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa/ huc illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur ac per modos varios rerum alternancium mobilitate versatur. Si vero semel in appeticione superne patrie forte | stabilitatem animus fingitur, minus animus rerum temporalium pertur- *B217v* bacione vexatur".

Secundo oblivionem generat sui et Dei, quia "ubi est thezaurus suus, ibi et cor eius" (*Mt 6,21; Lc 12,34*). Ideo in orando et meditando impeditur. Et de isto vide XLVII distinccione, Sicut hii, secundum Ambrosium (*cf. D.47 c.8, Fr.*

**1353** contum] continuum *B* **1356** portes] portas *B* **1357** timescis] timebis *Iuv.* **1358** mote *corr. sec. Iuv.*] motis *U, B* umbram] umbra *B* **1359** cantabit] cantabat *Iuv.* **1360** ibat...melos] *deest in Iuv., om. B* **1362** multum] multe *U* **1367** ad terrena] et terrena *B* **1371** mobilitate] mutabilitate *B*

[129] Ibidem, 1095.
[130] M. A. Severini Boethii *Consolatio philosophiae* l. II prosa 5.
[131] D. Iunii Iuvenalis *Satira* X, 19–22.
[132] L. Annaei Senecae *Epist.* 14,9.
[133] Senecae locum non invenimus.
[134] Cf. Boethium in commentario ad *l. c.*
[135] Gregorii Magni *Moralia* (MPL 76, 233).

*I. 171–172*), et quere in Punctis, ubi dictum est "aliud vero genus est christianorum, ut sunt laici" etc., et de sacerdotibus Bel et Dagon[136].

Tercio generat induracionem cordis, ex quo retinet danda pauperibus, quia plus vult retinere thezaurum in archa quam pauperem refocillare. Unde dicit Innocencius De vilitate condicionis humane nature[137]: "Avarus nec pacientibus conpatitur nec miseris subvenit vel miseretur, sed offendit Deum, offendit *U62r* proximum, | offendit seipsum. Nam Deo detinet debita, proximo denegat necessaria, sibi subtrahit optima. Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis. 'Viro cupido et tenaci sine racione est substancia et homini livido ad quid aurum?' Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? Non enim proximum suum diligit sicut seipsum, quem inedia premit, egestas consumit, nec Deum diligit super omnia, qui Deo prefert aurum, argentum preponit. 'Avaricia est ydolorum servitus', quia sicut ydolatra servit simulacris, sic avarus servit thezauro. Nam ille cultum ydolatrie frequenter ampliat et iste cumulum pecuniarum libenter augmentat, ille cum omni | diligencia colit simulacrum et *B218r* iste cum cura custodit thezaurum, ille timet mutilare simulacrum et iste timet minuere thezaurum. Avarus largus in alieno, sed parcus in proprio, gulam evacuat ut archam impleat, corpus extenuat ut lucrum extendat, manum habet ad dandum collectam sed ad rapiendum porrectam, ad dandum clausam, ad rapiendum apertam". Hec Innocencius. Ad idem Bernhardus super Cantica sermone XXXIX[138]: "Avaricia rotis vehitur IIII$^{or}$ viciorum, que sunt pussillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis oblivio. Porro iumenta trahencia tenacitas et rapacitas, et hiis ambobus unus auriga presidet, habendi ardor. *U62r'* Sola quidem avaricia, | quia conducere plures non patitur, uno contenta est servitore". Item Leo papa in quodam sermone[139]: "Amori pecunie vilis est omnis affeccio nullumque est iusticie in corde vestigium, in quo sibi avaricia fecit habitaculum". Item Bernhardus super Cantica sermone XX[140]: "Quere a quovis, qui insaciabili corde lucris temporalibus inhyant, quidnam de hiis senciant, qui sua vendentes et pauperibus dantes regna celorum pro terrena mercantur substancia, sapienter agunt an ne? Procul dubio respondit: Sapienter. Quere iterum, cur quod approbat, ipse non facit. Non possum, inquit. Quare? Profecto, quia domina avaricia non permittit. Quia liber non est. Quia non sua sunt, que possidere videtur, sed nec ipse sui iuris est. Si vero tua sunt, *B218v* expende ad lucra et terrenis celestia conmutato, | si vero non vales, scias te

**1382** vel miseretur *om. U* offendit proximum] et offendit proximum *U* **1387** quem inedia] quam inedia *U* **1389** ydolatra] ydolatria *U* **1395** collectam] collacionem *U* ad dandum...Innocencius *om. U* **1406** respondit] vendit *U* **1410** ad lucra] ad *om. B*

[136] Nicolai Dresdensis *Puncta*, f. 9r, 12r.
[137] Innocentii *De contemptu mundi seu de miseria condicionis humanae* (MPL 217, 721–722).
[138] Bernardi Claraevallensis *Sermones in Cantica* (MPL 183, 980–981).
[139] Leonis papae *Sermones* (MPL 54, 345).
[140] Bernardi Claraevallensis *Sermones in Cantica* (MPL 183, 876).

pecunie non dominum esse, sed servum". Per oppositum Crisostomus Matthei De opere perfecto de pauperibus inquit[141]: Pauperem non est necesse adulari neque indigere principibus neque multis indiget neque oportet eum turpiter servire neque formidare neque suspicari et timere calumpniatorum ora, sicut cupidus diviciarum. Non est enim paupertas aliquid tale servitutis miserum ut avaricia, sed paupertas est tranquillus portus.

Quarto | querit rixas, lites, ut possit habere extorsiones pecuniarum. Sic U62v
dicit Petrus Ravennas in sermone[142]: "Omnium malorum radix est cupiditas, transgressionis mater, magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malicie, siccaria virtutum, sedicionis origo, fovea scandalorum". Ad idem Ieronimus[143]: "Nichil aliud est avarus quam bursa principum, cellarium latronum, rixa potentum, sibulus hominum". Et Augustinus[144]: "Avarus velud infernus omnia devorans vellet nullum hominem esse, ut omnia solus possideret. Avarus vir inferno est similis: infernus enim quantoscumque devoraverit, nunquam dicit satis est, sic etsi omnes thezauri confluxerint in avarum, nunquam dicit satis est". Hec Augustinus. Ideo dicit Ieronimus[145]: "Avaro deest tam quod habet quam quod non habet". Cum cetera vicia senescunt homine senescente, sola avaricia iuvenescit.

Quinto gignit usuras. Quod patet de usura, vide alibi, ubi dictum est de ea[146].

Sexto rapinas. | Unde Augustinus De verbis Domini[147]: "Quid est ista B219r
aviditas concupiscencie? Nisi et ipse belue habeant modum? Tunc enim rapiunt, quando esuriunt, parcunt vero prede, cum senserint sacietatem. Insaciabilis est sola avaricia divitum: semper rapit et nunquam saciatur, nec Deum timet nec hominem veretur, nec patri parcit nec matrem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat, viduam opprimit, pupillum invadit,
liberos in | servicium revocat, testimonium falsum profert, res mortui occupat, U62v
quasi et ipse, qui hoc facit, eciam non moriatur. Que ista animorum insania, amittere vitam et appetere mortem, acquirere aurum et perdere celum!" Hec ille.

Septimo furtum, octavo fraudem, falsitatem, mendacium, versuciam in mercacionibus et malum vendere pro bono, falsam monetam exponere pro bona, iniqua pondera vel mensuras habere. Et sic de aliis, de quibus vide

**1411** Matthei] super Mattheum *B* **1414** formidare] formidari *B* **1418** radix *om. U* **1419** primipilaria] et primipilaria *B* **1424** quantoscumque] quantumcumque *U* **1425–1426** sic etsi...satis est *om. U* **1436** pupillum] pusillum *U* **1438** animorum] amicorum *B*

141 Cf. Johannis Chrysostomi *In Matthaeum homiliae* (MPG 58, 791).
142 Petri Chrysologi locum non invenimus.
143 Hieronymi locum non invenimus.
144 Aurelii Augustini *Liber de salutaribus documentis* (MPL 40, 1058).
145 Hieronymi Epistulae (MPL 22, 826).
146 Nicolai Dresdensis *De usuris*, ed. De Vooght, passim.
147 Aurelii Augustini *Sermones* (MPL 39, 1651).

eciam, ubi dictum est de usura in puncto de empcione et negociacione[148]. Nono sacrilegium, scilicet quando recipitur res sacra de loco sacro vel non sacro vel res non sacra de loco sacro. Decimo generat receptores munerum. Munera enim excecant iudices et sepeliunt iusticiam et reddunt recipientem mutum.

Undecimo generat symoniam. De hiis omnibus dicit Innocencius ubi supra[149]: "Radix omnium malorum est cupiditas. Hec sacrilegia conmittit, furta et rapinas exercet, predas bellaque gerit et homicidia, symoniace | vendit B219v et emit, iniuste negociatur et feneratur, instat dolis, inminet fraudibus, dissolvit pactum et violat iuramentum, corrumpit testimonium et pervertit iudicium. Quam multos seduxit cupiditas, quam plures perdidit avaricia! Baalam asella U63r | redarguit et pedem attrivit sedentis, quia captus cupidine promissorum disposuerat maledicere Israheli, Achor populus lapidavit, quia tulit argentum et aurum de anathemate Iericho, Nabuth interremptus est, ut Achab vineam suam possideret, Gesi lepra perfudit, quia peciit et recepit argentum et vestes sub nomine Elizey, Iudas laqueo se suspendit, quia vendidit et tradidit Cristum, Ananyam et Saphyram mors subitanea extinxit, quia de precio agri defraudaverunt apostolum, edificavit Tyrus municionem suam et coacervavit aurum et argentum quasi lutum platearum, sed ecce Dominus possedit eam et percussit fortitudinem eius". Hec Innocencius. Item Crisostomus super illud Matthei ultimo 'At illi accepta pecunia' dixit[150]: "Ne mireris, si pecunie milites superaverunt, que aput discipulum tantam ostenderunt virtutem". Nichil enim clausum constat, quod auro argentoque non patet, nichil occultum, quod non pecunia indagante sit cognitum. Ideo dicit Rabanus super Matthaeum[151]: "O pestis maligna avaricia! Quid illesum, quid inconcussum dimittis? Tu genus hominum confudisti, tu discipulum comitem Cristi ab apostolatu precipitasti, B220r | tu milites custodientes sepulcrum captivasti". Nunquid bene dictum est: Pecunie obediunt omnia?

U63v Duodecimo generat pluralitatem beneficiorum, | cum vix unus potest uni beneficio deservire. Unde dicit Ieronimus 1 q.1 Clericos (*C.1 q.2 c.6, Fr. I. 409*): "Qui ex bonis parentum et opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto conmittunt et per abusionem talium iudicium sibi manducant et bibunt". Item Prosper eadem causa et questione, Pastor (*C.1 q.2 c.7, Fr. I. 409*): "Illi, qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt sine grandi suo peccato unde pauper victurus erat non accipiunt, quoniam

**1451** vendit et emit] vendit vel emit *B* **1457** interremptus] interruptus *U* **1459** se suspendit] suspendit se *B* **1464** dixit *om. B* **1472** uni beneficio] beneficio uni *B* **1473** Clericos] clericus *U* **1477** dari] dare *B*

[148] Nicolai Dresdensis *De usuris*, ed. De Vooght, 185–188, 207–209.

[149] Innocentii *De contemptu mundi seu de miseria condicionis humanae* (MPL 217, 729).

[150] Johannis Chrysostomi *In Matthaeum homiliae* (MPG 58, 789).

[151] Hrabani Mauri Commentarii in Matthaeum (MPL 107, 1151).

quidem nichil aliud est habentibus dare quam perdere". Et de isto vide in Punctis, ubi dictum est de decimis dandis et oblacionibus[152]. Et sic patet, quomodo valde est periculosum acceptare beneficium eciam unum, et maxime habenti sive potenti se alias labore iusto sustentare. Et de promocionibus symoniacorum, scilicet racione muneris, a manu, obsequio, vel a ligwa, et propter sola stercora, scilicet temporalia acquirenda et habenda, acceptare sive recipere beneficium, quam sit dyabolicum, dictum est in Punctis, ubi dicebatur de symonia in beneficio secundum concilium Calcedonense, et de servitoribus symoniacorum secundum Speculum aureum[153].

Et de pluralitate beneficiorum habetur XXI q.1 Clericus (*C.21 q.1 c.1, Fr. I. 852*), ubi dicitur: "Clericus ab instanti tempore non conmuneretur in duabus ecclesiis. Negociacionis enim est hoc et turpis lucri conmodum et | ab ecclesie U63v
conswetudine penitus alienum. | Audivimus enim ex ipsa dominica voce, quod B220v
nemo potest duobus dominis servire. Aut enim unum odio habebit et alterum diliget, aut unum sustinebit et alterum contemnet. Unusquisque enim secundum apostolicam vocem, in quo vocatus est, in hoc debet manere, et in una locari ecclesia. Que enim propter turpe lucrum in ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena constituunt a Deo". Et Extra, De clericis non residentibus, Quia nonnulli (*cf. X, 1, 1, 3, Fr. II. 461*), prohibetur, ne quis sibi vendicet officium plurimorum, cum quis unum officium vix implere valeat, quia secundum capitulum Ad hec, Extra, De prebendis (*X, 3, 5, 13, Fr. II. 468*) "singula officia in ecclesiis assiduitatem exigunt personarum". "Inducit ergo materiam dissolucionis et evagacionis, certum, quod continet periculum animarum", ut eodem tytulo, Quia in tantum (*X, 3, 5, 5, Fr. II. 465*), quia "racio nulla permittit, ut quod pro conmuni utilitate esse cognoscitur datum, propriis cuiusquam usibus applicetur", ut ibi in capitulo Racio (*X, 3, 5, 3, Fr. II. 465*).

Et non tantum de curatis ecclesiis predicta intelliguntur, prout quidam excusaciones in peccatis avaricie querentes dicunt, sed et de non curatis. De illo habetur bonus textus De rescriptis, capitulo ultimo, libro VI (*cf. L. VI. 1, 3, 15, Fr. II. 943*), ubi dicitur, quod beneficium ecclesiasticum datur propter officium, quod plerumque obmittitur. Et sequitur ibidem, quod inde, scilicet habere multa beneficia, "insolencie oriuntur vagandi et | dissolucionis preparatur U63v
materia, minuitur cultus divinus". Ideo statutum est De conswetudine capitulo 1 l. VI (*L. VI. 1, 4, 1, Fr. II. 944*), | quod "nulli liceat de cetero nisi unicum B221r
beneficium obtinere, quia vix unum officium digne valeat aliquis adimplere" etc. Et diceret aliquis: quis faciat clericus, si habeat pauperem ecclesiam? Respondetur secundum capitulum Clericus XXI q.1 (*cf. C.21 q.1 c.1, Fr. I.*

**1489** non conmuneretur] conmoveatur *B* **1491** ex ipsa] in ipsa *U* **1493** contemnet] contemnat *B* **1502** racio nulla] racio una *U* **1504** cuiusquam usibus] usibus cuiusquam *B* **1506** et de non] et *om. U* **1510** multa beneficia] plura beneficia *B*

[152] Nicolai Dresdensis *Puncta*, f. 13r–14r.
[153] Ibidem, f. 24r[b]–25r[a].

*852*), quod querat victum artificio honesto, scilicet agricultura, quod exeat ad opus rurale vel alias, secundum quod dictum est in Punctis de labore clericorum et monachorum[154]. Sufficere ergo debet clerico, cum comode valeat sustentari, ut Extra, De rescriptis, Postulasti (*cf. X, 1, 3, 27, Fr. II. 30*). Et dicitur notanter "comode", non superflue, non excessive, non luxuriose sive delicate, de quo vide supra, et precipue ubi dictum est de duplici indigencia, scilicet nature et avaricie. Nec obstat, quod allegant plurales in beneficiis dispensacionem, conswetudinem, prescripcionem, et sic de aliis eorum fictis terminis, quia licet huiusmodi excusant quoad penam temporalem, non tamen quoad yehennalem, prout dictum est supra. Et de hiis omnibus vide, ubi dictum est de usura[155] et materia sanguinis circa sextam conclusionem[156].

*U64r* Ad omnia ista facit optime, quod dicitur ex concilio Karthagiensi | IIII, XLI distinccione (*D.41 c.7, Fr. I. 150*): "Episcopus vilem supellectilem et mensam ac victum pauperem habeat et dignitatis sue auctoritatem fidei meritis querat, hospiciolum quoque non longe ab acclesia habeat".

*B221v* Et quam dampnabile | est plura beneficia tenere, scribit quidam episcopus, qui hiis, que secuntur, dicit se interfuisse, vidisse et audivisse, scribens in hunc modum[157]: "Quicunque hoc legerit, sciat me ab anno incarnacionis Domini M° CCXXXVIII fuisse Parizius, ubi venerabilis Wilhelmus Pariziensis episcopus, qui in teologia iam rexerat, convocacionem fecerat in fratrum Predicatorum capitulo omnium magistrorum. Proposita ergo questione de pluralitate beneficiorum sollerti et valde longa disputacione probatum est duo beneficia, dummodo unum valet XV parizienses libras, teneri. Cum salute non posse hoc determinavit predictus episcopus. Hoc Hugo, frater ordinis Predicatorum, postmodum Romane curie cardinalis, hoc frater Gunricus et frater Gamfredus eiusdem ordinis, frater Iohannes de Rupella ordinis fratrum Minorum, et alii quam plures magistri theologie determinaverunt in scolis propriis successive. Fuerat autem habita disputacio longa valde et multo solemnior ante annos
*U64r* tres, in qua et omnes magistri theologie de|terminasse probantur idem per omnia quod supra, exceptis duobus, quorum unus fuit magister Philippus, cancellarius Pariziensis, et magister Arnoldus, postmodum episcopus Ambianis. Quod autem de dicto Philippo contigerit, audiamus. Agonizantem in

**1519** Et dicitur] Et habetur *B* **1527** Ad omnia] Et omnia *B* **1531** tenere] habere *B* **1534** MCCXXXVIII *em. sec. Thom. Cantipr.*] MCCVIII *U, B* **1535** iam] eam *B* fecerat] faceret *B* **1539** predictus episcopus] episcopus predictus *B* **1540** Gamfredus] Gynhardus *B* **1547** Quod autem] Quid autem *B* in morte] in mortem *B*

[154] Ibidem, f. 29v$^a$ – 30v$^b$.

[155] Nicolai Dresdensis *De usuris*, ed. De Vooght, 198.

[156] Nicolai Dresdensis *Sermo ad clerum de materia sanguinis*, f. 209 v – 211 r; *Apologia*, sexta conclusio, f. 177 r$^a$ sqq. (praesertim f. 186 v$^a$).

[157] Thomae Cantipratensis *Bonum universale de proprietate apum seu Apiarium*, l.l.c.9., cf. tractatum *De pluralitate beneficiorum*, codex manu scriptus Bibliothecae Universitatis Pragensis VIII D 15, f. 78r – 79r; ms. Bibliothecae Seminarii Pelplin 453 (229), f. 167 v – 171 r.

morte dictus Wilhelmus Pariziensis | episcopus paterna sollicitudine visitavit *B222r* rogavitque eum, ut singulari opinioni cederet de pluralitate beneficiorum et omnia beneficia sua excepto uno resignaret, et hoc condicione media, ut, si convalesceret, ei supplere vellet de suo proprio, quod dimisit. Rennuit ille, dicens se velle experiri, utrum esset dampnabile beneficia plura tenere. Mortuus est autem post paucos dies. Ac cum dictus Pariziensis episcopus orare vellet, vidit inter se et lumen quasi umbram hominis tetram nimis. Elevata ergo manu consignavit se, et, si ex parte Dei sit, precepit, ut loquatur. Cui respondit apparens: alienus a Deo sum, sed tamen mirabilis factura eius. Et presul: Tu quis es?, inquit. Cui ille: Ego sum cancellarius, ait ille, dudum miserrimus. Rursus episcopus elato alcius gemitu: Et quomodo tibi, inquit, est, sic dolenti? Male, ait, ymo quam pessime, sicut qui dampnatus sum eterna morte. Et episcopus: Heu, ait, que causa tue damnacionis? | Tres sunt, inquit, cause, *U64v* quare morte perpetua dampnatus sum. Una est, quod excrescentes fructus annuos contra pauperes tumide reservavi, 2ª est, quod contra sentenciam de pluralitate beneficiorum quasi licite tenendorum opinionem propriam defensavi, et in hoc me periculo mortalis culpe conmisi. Tercia est et illa gravissima omnium, | quod abhominali carnis vicio in scandalum multorum multo *B222v* tempore laboravi. Et ad episcopum mox subiunxit: Estne, inquit, finitus mundus? Et episcopus: Miror, ait, quondam literatissimum virum hoc querere, cum me adhuc vivere cernas, et omnes nos viventes adhuc mori necesse est, antequam mundus instante iudicio finiatur. Et ille: Non mireris, inquit, quia nec sciencia nec opus nec racio aput inferos venienti. Et hoc dicens umbra ab oculis eius mirantis evanuit.

Simili modo cum quidam clericus maxime literatus fratrem de ordine Predicatorum agonizans in morte mandasset vocari et consilium quereret quasi in proximo migraturus, reduxit ei ad memoriam disputacionem illam solennem et determinacionem de pluralitate beneficiorum Parizius, cui ipse interfuerat | doctor magnus, consuluitque illi cum magna instancia lacrimarum, ut unam *U64v* prebendarum dimitteret, quia duas contra suam animam tenuerat, quarum una ad omnem vite copiam omni homini clerico sufficere potuisset. Tunc ille facie versa dissimulans hoc tantum respondit: Orate Dominum, ut inspiret. Nec diu postea, cum recesisset frater, et, tenuissimo spiritu vix habente, hoc idem, quod consuluerat ei frater, quidam consobrius iuvenculus cum maximis lacrimis inclamaret, cum | voce non posset, manu annuens exspiravit. Post cuius obitum *B223r* cum dictus frater stupefactus nimium cogitaret, cur tantus homo et tantus clericus, si mortale peccatum esset plura beneficia retinere, in tali statu

**1552** esset] esse *U* tenere] habere *B* **1553** autem] ergo *B* Ac cum] Et cum *B* **1554** *ad v.* tetram] id est obscuram *B in marg.* ergo manu] autem manu *B* **1555** consignavit] consignat *B* precepit] precipit *B* **1556** mirabilis] miserabilis *B* **1559** ait] agit *U* qui dampnatus] quidem natus *B* **1562** tumide] timide *U* **1573** et consilium] ad consilium *B* **1577** suam animam] animam suam *B* **1578** facie versa] facie conversa *B* **1581** consuluerat] consuleret *B*

mortuus extitisset, mox quasi semivigilanti defunctus apparens dixit: Hec prebendarum causa est, pro qua infelix ego eternaliter sum dampnatus. – Hoc idem magister Ginhardus Cameratensis episcopus verbo huiusmodi confirmavit: Nollem pro toto suro Arabie una tantum nocte duo beneficia retinere, et certus tamen essem, quod de mane unum illorum homini ydoneo conferretur, et hoc propter incerte vite discrimen. – Super hoc eciam narrante fratre U 65r | Bernhardo quondam penitenciario domini pape et fratre ordinis Predicatorum, cum papa beatissime memorie Gregorius Nonus interrogaretur, si posset de plenitudine potestatis cum plurium detentoribus beneficiorum dispensare, respondit: Non possum nisi super vexacione tantum detinencium dispensare.

Quis ergo erit sapiens, qui fallat se et sibi super dispensacione aliqua blandiatur? Estimo, quod multi magistrorum dicant hoc et multi alii in contrarium; hoc solum mortale ab Augustino iudicatur, quod quis incertitudinis periculo aut mortalis peccati discerni se conmittit. Noli ergo fieri sub trina invocacione divini nominis usurpator, ut B 223v | sicut sub tribus personis invocatur et colitur unus Deus, ita tu, clerice, tu, sacerdos, duorum, trium, quatuor vel plurium beneficiorum possessor existas! Lucifer ille sapientissimus et pulcherrimus in creaturis, Lucifer angelus assimilari voluit Deo, et contemptibilius cecidit universis: quanto autem numerosior extiteris in prebendis, tanto te superbius non solum contra Deum, sed eciam supra Deum extollis.

Ego in quadam civitate episcopali annis XI adolevi, ubi LXII canonici sub prebendis pigwissimis ducentarum fere librarum pariziensium U 65r | in matre ecclesia serviebant, quorum plures erant beneficiorum plurium detentores. Michi testis et iudex sit sancta Trinitas unus Deus, quod paucos eorum vidi conmuni morte hominum defungi, sed subito omnes et reprobe mori, ita ut quidam eorum audito, quod unus sociorum in nocte sanus, mane mortuus inventus esset, conplosis manibus dixit: Et quid vultis, secundum usum et conswetudinem ecclesie mortuus est, ut videtis. Vidi ego ipse in eadem ecclesia infra annos IIII^or quatuor archidyaconos sic defungi, vide, lector, mirabile mirabilium: primus eorum de equo fallerato et grandi cecidit et fractis cervicibus expiravit, 2^us mane in kathedra sedens mortuus est repertus, 3^us in choro stans, cum ad missam elevacio B 224r | corporis Cristi fieret, cecidit resupinus et subtracta loquela cum sensu quasi brutum animal die tercia sine sacramentis ecclesiasticis est defunctus; 4^us confessionem peccatorum et sacramenta recusans mortuus est, et extra cimiterium sepultus".

Fidelis ergo sacerdos Cristi tenere debet, quod habere beneficia plura cum cura vel sine cura sive mixtim, ymo eciam unum eomodo, quod dictum est supra, est sacrilegium, est contra racionem, contra ius naturale et divinum U 65v | et certum continet periculum animarum, prout superius late scripture testantur,

**1589** unum illorum] illorum unum *B* plurium *om.* *B* **1595** fallat] fallet *U* sibi *om.* *U* **1605** annis XI] annis XII *B* **1614** mirabilium] miraculum *B* **1616** *ad v.* resupinus] id est in faciem *B in marg.* **1618** confessionem] confusionem *B* **1619** sepultus] est sepultus *B*

et se diligenter abstinere debet ab huiusmodi veneno, Constantini tempore in sanctam ecclesiam Dei infuso, ut XCVI distinccione, Constantinus (*cf. D.96 c.13–14, Fr. I. 342*), – et de isto vide in cronica Flores temporum et per doctorem Cestrensem in Punctis[158], – et sequatur Cristum non habentem, ubi caput reclinaret, Matthei VIII (*cf. Mt 8,20*), et fugientem in montem, cum eum regem facere vellent, Iohanis VI (*cf. Joh. 6,15*), et dicentem Luce XII (*Lc. 12,15*) "videte, et cavete ab omni avaricia", et iterum (*Mt 10,9*) "nolite possidere aurum et argentum" etc., Matthei X, sed edentes et bibentes, que aput illos sunt, scilicet aput quos laborant, ut dicit Prosper, 1 q.1 Sacerdos (*cf. C.1 q.2 c.9, Fr. I. 410–411*). Et de isto dictum est in Cortina[159].

Tredecimo ipsa avaricia facit habere proprium, quia facit malos monachos et proprietarios. Et de hiis sufficienter dictum est in Punctis, quomodo monachus habens | obulum vix valet obulum etc., ut ibi[160]. *B224v*

Predicti ergo rami valde timendi sunt, nam avarus dives cum moritur, dividitur, quia dyabolus animam, vermes corpus, cognati bona temporalia petunt. Et secuntur ipsum tria: divicie ad ianuam, cognati ad sepulcrum, opera ad celum vel ad infernum. Opera enim illorum secuntur eos, | ideo beati *U65v* mortui, qui in Domino moriuntur, Apokalipsis XIIII (*Apoc. 14,13*). Mori autem in Domino presupponit bene vivere in Domino. Ideo dicit Augustinus De civitate Dei libro 1.:[161] "Mors mala putanda non est, quam bona vita precessit; neque enim facit malam mortem nisi quod sequitur mortem". – Et tantum de prima specie avaricie et de ramis eius.

Nunc de 2ª specie avaricie, que est circa divicias spirituales, nota versum:

Qui scit, conmunicet quod scit, nec vendat egenis,
serviat et iuste sacra discat, non petat alta.

Primo "qui scit, conmunicet quod scit", quia peccatum est scienciam non conmunicare, et quando non datur consilium indigenti. 2º "non vendat egenis", scilicet pupillis, viduis pauperibus et orphanis, consilium vel scienciam. Contra hoc peccant advocati, iudices, medici, et magistri. De iudicibus habetur Extra, De vita et honestate clericorum, Cum ab omni, per Bernhardum in glossa sic (*gl. ad X, 3, 1, 10 ad v. "praeter expensas"*): "Ordinarius nunquam debet habere expensas, nam ideo stipendia sunt ei constituta, XXIII q.1 Militare (*C.1 q.1 c.5, Fr. I. 893*), ymo et cum de mandato principis | ad *B225r* aliam provinciam proficiscitur, debet expendere illa, que domi expenderet. In

**1627** sequatur] sequitur *U* **1636** etc., ut ibi *om. B* **1638** dividitur] dividitur, ut ibi *B* dyabolus animam] animam dyabolus *B* **1645** de ramis] de *om. B* **1651** consilium] scilicet consilium *B* **1655** stipendia] studia *B*

[158] Nicolai Dresdensis *Puncta*, f. 6v[ab], 30v[b] sqq.
[159] Nicolai Dresdensis *Tabulae veteris et novi coloris seu Cortina de Antichristo*, ed. H. Kaminsky, p. 40–41.
[160] Nicolai Dresdensis *Puncta*, f. 29r[b].
[161] Aurelii Augustini *De civitate Dei* I, 11 (MPL 41, 25–26).

autentica De mandatis principis paragrapho Illud. Et si ordinarius dat
U66r delegatum, tunc ipse debet ei facere expensas, | Extra, De officio iudicis
ordinarii, Inter cetera (*X, I, 31, 15, Fr. II, 192*). Licet quidam episcopi
contrarium faciunt, quod tamen facere non deberent, unde posset ab eis repeti
tamquam indebitum, articulo De magistris, Prohibeas (*X, 5, 5, 2, Fr. II. 769*) et
De censibus, Procurationes in fine (*X, 3, 39, 23, Fr. II. 632*), et XVIII
distinccione, Quoniam, et capitulo sequenti (*D.18, c.7 et 8, Fr. I. 56–57*).
Ymmo et delegati iudices, si pauperes sunt litigantes, debent eciam a sump-
tibus abstinere, quia nec tunc delegatus habet sportulas, in autentica De
mandatis principis, paragrapho Si tibi, coll. III (*Novella XVII, Coll. III; tit. 4.
cap. III*). Alias delegati iudices expensas debent habere, quando proficiscuntur
extra domicilium suum, sicut testis IIII q. III paragrapho Venturis (*C.4 q.3 c.3
§ 40 in corpore, Fr. I, 54*), quia nemo cogitur suis sumptibus militare, Extra, De
symonia, Cum sit Romana (*X, 5, 3, 10, Fr. II, 751*), et De prescriptis, Cum ex
officii (*X, 2, 26, 16, Fr. II, 388*), et XXVIII q.1 Iam nunc, (*C.28 q.1 c.8, Fr. I.
1081–1082*) et de suo non tenetur quis facere beneficium, X q. II Precarie
(*C.10 q.2 c.5, Fr. I. 621*). Munera enim, non sumptus, prohibentur, 1 q.1 Duces
(*C.I q.1 c.23, Fr. I, 367–368*)." – Nec testis prohibetur recipere expensas in
eundo vel redeundo et in iudicio stando, ut De rescriptis, Statutum, libro VI
(*cf. L. VI. 1, 3, 11, Fr. II. 941–942*). "Gratis tamen debet facere testimonium,
IIII q. III paragrapho Venturis (*C.4 q.3 c.3, ut supra*), et sic procuratori non
prohibetur sumptus dari, sed pacisci prohibetur, Digesta, De pactibus,
Sumptus" (*gl. ad X, 3, 1, 10 ad v. "gratis studeatis"; Dig. 2, 14, 53*). Unde dicit
B225v Augustinus XI q. III | (*C.11 q.3 c.71, Fr. I. 663*): "Non licet iustum iudicium
vendere iudici" – dicit glossa "Multo magis iniustum", et sequitur per
U66r eundem: "Etsi licet advocato vendere | iustum patrocinium et iurisconsulto
rectum consilium" rei, dicit Goffredus, quod "advocatus vel iurisperitus non
debet vendere consilium vel patrocinium, quia si causa est iniusta, non debet
eam assumere, ymmo acceptam vel assumptam debet deserere, Codex, De
iudiciis, Rem non novam; si est iusta, gratis tenetur consulere vel procurari. Et
dicit Augustinus: Hic loquitur secundum leges" (*gl. ad C.11 q.3 c.71, ad v.
"iustum"*), que dicunt, quod causa premiorum invitandus est assessor, Codex,
De assessoribus libro 1 (*Cod. I, 51, 1, Krüger II. 88*). Et dicit Bartholomeus
Brixiensis ibidem (*gl. ad C.11 q.3 c.71*): "Tamen dico, si sine labore potest dare
consilium, non revolvendo libros nec laborando in perlegendis allegacionibus,
tunc gratis tenetur subvenire". Hec ibi.

Sed "beatus, qui excutit manus suas ab omni munere" (*Is. 35, 15*), 1. q.1
Sunt nonnulli, et Extra, De symonia, Etsi questiones (*C.1 q.1 c.114, Fr. I. 402;
X, 5, 3, 18, Fr. II. 755*). Unde dicitur Psalmo XXV (*Ps. 25, 9*) "Ne perdas cum

**1659** iudicis *add. sec. Fr.* **1663** Procurationes *ens. sec. Fr.*] Procuratores *U, B* **1669** domicilium suum] suum *om. B* **1672** officii *em.*] officio *U, B* **1674** Duces *em. sec. Fr.*] Iudices *U, B*

impiis animam meam et cum viris sanguinum vitam meam, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus". Ymo "ab omni specie mali abstinendum est", ut Extra, De vita et honestate clericorum, Cum ab omni (*X, 3, 1, 10, Fr. II. 451*), eciam ab exeniis, que in esculentis et potulentis consistunt et paucis diebus consumi possunt et inter lucra non conputantur, ut Digesta, De officio proconsulis, paragrapho ultimo (*Dig. I, 16, 6, Mommsen-Krüger I. 43*). Ideo dicitur Ecclesiastici XX (*Eccli. 20, 31*): "Exenia enim | et pecunia excecant iudicem", | ymmo secundum legem Dei U66v B226r servum Dei non oportet litigare nec litigiosum esse, et secundum canones sacros, ut patet XV q. II Observandum (*C.15 q.2 c.un., Fr. II, 750*), ubi dicitur: "Observandum quoque decernimus, ne quis sacerdotum vel clericorum more secularium iudicum" (id est advocatorum) pro impensis patrociniis munera audeat accipere. Et sequitur: "quod si probatur accipere veluti exactor feneris aut usurarum possessor secundum statuta patrum se noverit degradandum". Secundum glossam enim ibidem (*gl. ad C.15 q.2 c.un. ad v. "pro impensis"*) "episcopi et sacerdotes non debent indifferenter advocare, ne vilescat dignitas episcoporum, ut LXXXVIII distinccione, Perlatum", et XXIIII q. V Denique, ubi dicit Ambrosius (*C.14 q.5 c.10, Fr. I. 740*): "Ideoque in causis pecuniariis intervenire non est sacerdotale, in quibus non potest fieri, quod non frequenter ledatur alter, qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victum arbitraretur". Sic quidam, cum diceret ad Cristum "Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem, dixit: Homo, quis me constituit iudicem aut divisorem super vos?" (*Lc 12, 13*), ubi dicit glossa ordinaria[162]: "Non sum dissensionis Deus, sed pacis et unitatis, qui veni homines pacificare cum angelis, ut multi unum cor et unam animam habeant, | non ut dividantur, sed ut omnia habeant U66v conmunia, ne quis sit egens inter eos; ille, qui non colligit mecum, est fraternitatis divisor et dissensionis auctor", ut Luce XII et in textu et in glossa. Et ibidem VI dicit (*Lc 6, 29–30*): "Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, et tunicam noli prohibere, | et qui aufert, que tua sunt, ne repetas" – dicit B226v Lira[163] "scilicet in iudicio". Idem Matthei V dicit (*Mt 5, 40*), ubi dicit Crisostomus[164] assignando racionem, "quia omne iudicium irritacio cordis est et cogitacionum malarum. Si semel in iudicio ingressus fueris, iam non desideras, ut veritas cause appareat, sed ut quocunque modo victor existas. Si autem videris, quod tua causa, sicut frequenter solet fieri in iudiciis, aut verbis aut fraudibus aut pecuniis expugnetur, necesse est similiter, ut tu aut verbis aut

**1701** consistunt] existunt *B* **1706** ut patet] quod patet *B* **1709** accipere] recipere *B* **1713** episcoporum] ipsorum *B*, *glossa* **1714** ubi dicit] ut dicit *U* **1718** dixit] et dixit *B* **1723** dissensionis] discucionis *B* ut Luce XII et in textu] ut Luce XII in texto *B* **1730** tua causa] causa tua *B* aut verbis aut fraudibus] aut fraudibus aut verbis *B*

[162] Walafridi Strabonis *Glossa ordinaria ad Lc 12,13* (MPL 114, 295–296).
[163] *Postilla* Nicolai de Lira ad Lc 6,30.
[164] Pseudochrysostomi *Opus imperfectum in Matthaeum* (MPG 56, 700).

fraudibus aut pecuniis cause tue adesse festines. Nam primum pro lucro tantummodo festinabas, postea iam et pro pudore contendis. Et magis contentus es eciam peccare, tantum ut vincas, quam vinci, tantum ut non pecces. Qui ergo difficilius putat rem dimittere quam in iudicio introire, hec cogitet, quia difficilius est sine peccato de iudicio exire; facilius est ante iudicium rem dimittere, quam in iudicio peccatum evitare. Nam ante iudicium una causa avaricie te ad iudicium conpellit, post ingressum eciam causa pudoris; et qui unam causam vincere non potuisti propter timorem Dei, duas U 67r quomodo vincas? Ergo sicut Ioseph dimisit | palium in manu meretricis et fugit cum meliori palio castitatis, sic et tu proice palium in manu calumpniantis et fuge cum meliori palio iusticie, ne forte dum vis vendicare vestem corporis, B 227r | preciosissimam vestem anime perdas; nam qui lucrum anime magnum esse existimat, lucrum anime modicum putat". Hec Crisostomus ibi. Et sic dicit Apostolus 1 Corinthiorum VI (*1. Cor. 6, 4–5*): "Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico". Et sequitur per eundem (*1. Cor. 6, 7–9*): "Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?" – Et tantum de iudicibus.

De medicis autem habetur Ecclesiastici XXVIII, et secundum expositores intelligitur de medicina spirituali, scilicet de confessione, qua morbus medico revelatur, et de oracione, qua oratur medicus et omnia vulnera sanat, et de predicacione verbi Dei, qua eciam peccata sanantur. Dicitur enim ibidem (*Eccli 38, 1–2*) "honora medicum propter necessitatem; etenim illum creavit Altissimus. A Deo est omnis medela et a rege accipiet | donacionem" etc., ut U 67v ibi. Et de modo se habendi Extra, De penitenciis et remissionibus per Innocencium III in concilio generali (*X, 5, 38, 13, Fr. II. 888*): "Cum infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem sanaverat, Vade et amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi B 227v contingat, presenti decreto | statuimus et discrete precipimus medicis corporum, ut, cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant et inducant, ut medicos advocent animarum, ut, postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicine remedium salubrius procedatur, cum causa (id est peccato) cessante cesset effectus (id est infirmitas corporis, que est per eam). Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto,

**1732** festines] festinas *B* **1733** festinabas] festinas *B* pro pudore] pre pudore *B* **1734** vinci *em. sec. MPG*] vincisti *U*, *B* **1736** sine peccato de iudicio] de iudicio sine peccato *B* **1737** peccatum evitare] evitare peccatum *B* **1738** ad iudicium *om.* *B* **1740** fugit] fuit *B* **1741** calumpniantis] calumpniatoris *B* **1742** ne forte *bis in* *B* **1746** habueritis] habueris *B* **1750** iniqui] impii *U* **1757** omnis medela] medela omnis *B* accipiet] accipiat *B* **1761** sanaverat] sanaret *U* **1762** medicis] medicos *U* **1766–1767** id est...per eam] que est pena peccati *B*

quod quidam egritudinis lecto iacentes, cum eis a medicis swadetur, ut de animarum salute disponant, in desperacionis articulum incidunt, unde facilius periculum mortis incurrunt". Dicit Iohannes Andree in Novellis[165], quia medici swadebant tantum, quando videbant eos non posse liberari, unde ipsi desperabant de vita; postquam autem scient infirmi, quod medici tenentur dicere ex precepto huius constitucionis, non solum sperant, sed eciam cicius sanabuntur. – Et de ipsis medicis dicit Petrus Blesensis in quadam epistola sic:[166] "Comune quidem medicorum vicium semper circa egritudines variare. Unde et si tres aut quatuor ad infirmum veniunt, nunquam in assignacione | cause vel exhibicione cure conveniunt". Item Seneca[167]: Medicorum consilia devita, qui parum docti et satis seduli efficiosissime multos occidunt. Quod U 67v
fatetur eciam quidam in arte phisica eruditus | Extra, De etate et qualitate et B 228r
ordine preficiendorum, Ad aures (*X, 1, 14, 7, Fr. II. 127–128*), quod "pluribus iuxta artis ipsius tradiciones exhibuit cum diligencia medicinam, licet pluries in contrarium successerit, et quibus putabat adhibere medella, medicinis perceptis mortis periculum incurrerunt". Unde dicitur ibidem in glossa (*gl. ad X, 1, 14, 4, ad v. "cum diligencia"*): "Id est

Non est in medico semper, relevetur ut eger".[168]

Ideo hoc consulitur, ne promoveatur ad ordines.[169] Versus:

Consulitur medico, ne promoveatur ad aures.

Et dicit glossa, quod (*gl. ad X, 1, 14, 4 ad v. "consilio"*) "hoc est consilium reverencie, cui obediendum est, et est quasi preceptum, VI distinccione, Testamentum (*D.6 c.1, Fr. I, 9–10*), et XIIII q.1 Quisquis, (*C.14 q.I c.3, Fr. I, 733*) et De symonia, Matheus, in fine (*X, 5, 3, 23, Fr. II, 757*). Secus in consilio perfeccionis, ut XIIII q.1 Quisquis (*C.14 q.I c.3, Fr. I, 733*), quale dicitur esse illud (*Mt. 19, 21*): 'Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, que habes, et da pauperibus'". Sic dicitur de muliere, que erat in profluvio sanguinis annis XII, quod fuerat multa perpessa a quam pluribus medicis, et erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat, Marci V et Luce VIII (*Mc 5, 25–30; Lc 8, 43–48*). Unde dicitur in dicto capitulo Cum infirmitas (*X, 5, 38, 13, Fr. II. 888*): "Ceterum, cum anima sit multo perfeccior corpore, sub interminacione anathematis prohibemus, ne | quis medicorum pro cor- U 67v
porali salute aliquid egro swadeat, quod in periculum anime convertatur". Ad

**1768** quidam egritudinis] quidam in egritudinis *B* **1772** autem scient] scient autem *B* **1775** sic *om. B* Comune] Omne *U* **1781** artis ipsius] ipsius artis *B, Fr.* **1786** Ideo hoc] 4° *U* Versus] 5° *U* **1787** ad aures] et aures *B*

[165] Johannis Andreae *glossa ad v. "incurrunt"*: "ex quo vero sciunt in omni infirmitate mortali et non mortali medicum hoc dicere ex praecepto, cessabit timor et periculum".

[166] Petri Blesensis *Epistolae* (MPL 207, 126).

[167] L. Annaei Senecae locum non invenimus.

[168] Cf. Walther, *Proverbia sententiaeque Latinitatis medii aevi*, n. 17643

[169] Cf. Guillelmi Durandi dicti Speculator *Speculum iuris*, Basileae 1574, col. 70.

idem Ambrosius in Psalmo CXXX, et ponitur De consecracione distinccione V (*De cons. D.5 c.21, Fr. I. 1417*): "Contraria divine condicioni precepta B228v medicine sunt. A ieiunio devocant, lugubrare (id est flere | peccatum, vel in nocte vigilare) non sinunt, ab omni intencione meditacionis (id est contemplacionis) abducunt. Ita qui se medicinis dederit, seipsum sibi abnegat". Hec ibi. Et Dyogenes phylosophus videns quendam pictorem, qui factus est phisicus, cui dixit: Existimo, quod scivisti, quod error picture patebat oculo et error medicine latebat sub terra, propterea obmissa pingendi arte factus es medicus. Et dicit lex, Codex, Communia delegatorum in primo registro (*cf. Communia de legatis, Cod. VI, 45, Krüger 274*), quod medici non sunt maioris valoris quam obstitrices. Et nota, quod Speculator tytulo De legatis, paragrapho Iuxta proposicionis, II columpna, verbum "Si autem aliquis sagittam", dicit[170], quod extrahens sagittam vel gladium vel telum infirmo in gutture vel pectore alicuius, propter quod vulneratus cicius moritur, irregularis est. Et in verbum "quod si quis infirmum" dicit[171], quod vertens infirmum, ut cicius moriatur, est irregularis. Et clericis in minoribus ordinibus constitutis non beneficiatis nec intendentibus promoveri non interdicitur medicine officium, sed clericis in sacris ordinibus constitutis vel eciam in minoribus, dum tamen sufficienter U68r beneficiati sint, | non licet de phisica operari nisi gratis pro miserabilibus personis vel suis consanguineis, nec eciam tunc, si posset esse ibi periculum. Sed securius est relinquere hominem in manibus Creatoris sui quam ipsum exponere quocunquemodo dubitabili medicine, quod lege striccius est | in B229r claustralibus observandum. Officium autem cyrurgie, quod adustionem vel incisionem inducit, sine omni excepcione est talibus interdictum, cum in nullo vacillare debeat consciencia promovendi, XXXIII distinccione Laici (*D.33 c.6, Fr. I. 124*), et Extra, Ne clerici vel monachi secularibus negociis se immisceant, Sentenciam, et capitulo ultimo (*X, 3, 50, 9–10, Fr. II. 659–660*). Et utrum medicus, qui cum infirmo de certa mercede convenit, qui tandem ab egritudine liberatus eandem in infirmitatem incidit, pro eodem salario teneatur infirmum curare, nota Bartholomeum Brixiensem in q. Sua dominicali, que incipit Medicus quidam, ubi solvendo dicit[172], quod "si culpa infirmi recidivavit, non obligatur medicus, alioquin sic. Digesta, De regulis iuris, lege Quod quisque culpa sua, Petrus distingwit, utrum in continenti redierit infirmitas, et tunc teneatur, De penitencia distinccione 1, Divorcium (*De poen. D. I c.21, Fr. I, 1163*), vel ex intervallo, et tunc non. De istis vide Extra, De homicidio, Tua (*X,*

**1803** flere] flebile *B* vel *om. B* **1804** ab omni] cum ab omni *B* **1805** medicinis *U, B*] medicis *Fr.* **1811** de legatis *sic U,B* **1820** esse ibi] ibi esse *B* **1822** lege] longe *B* **1829** in infirmitatem] in *om. B* salario] solario *B* **1832** medicus] medico *B* **1833** in continenti] in contingenti *B*

[170] Ibidem.
[171] Ibidem.
[172] Henrici Boich *Distinccionum libri quinque ad Decretales Gregorianas commentaria*, liber 5, ad X, 5, 12, 19.

*5, 12, 19, Fr. II, 801–802*), per Heynricum Boech". Et de solario medici laici patebit infra, ubi dicitur de magistris et eorum salariis.

De nomine magisterii dicit Salvator Matthei XXIII (*Mt 23, 8*): "Vos autem | nolite ab hominibus vocari rabi". Dicit Crisostomus[173]: "Ne, quid Deo U68r
debetur, vobis presumatis. Nolite et alios vocare rabi, ne divinum honorem deferatis. Unus est enim magister omnium, qui omnes homines naturaliter docet". Et sequitur: "Maxime vos, qui | spirituales estis, quomodo vocetis B229v
vobis terrenum magistrum? Nunquam carnalis doctrina disciplinam generat spiritualem. Scriptum est enim: Beatus est homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum etc." Videant ergo, qui tempus eorum et vires et substancias rerum et corporum consumentes pro solo nomine magisterii seu alterius preeminencie humanitus adinvente acquirendo! De ipsis constituendis habetur Extra, De magistris, capitulo 1 sic (*X, 5, 5, 1, Fr. II, 768–769*): "Quoniam ecclesia Dei sicut pia mater providere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus iuvari non possunt, legendi et proficiendi opportunitas subtrahatur, per unamquamque katedralem ecclesiam magistro, qui clericos eiusdem ecclesie et scolares pauperes gratis doceat, conpetens aliquod beneficium prebeant". Idem in concilio generali, Quia nonnulli, eodem tytulo, quod (*X, 5, 5, 4, Fr. II. 770*) adicit, "ut non solum in qualibet kathedrali ecclesia, sed eciam in aliis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur ydoneus, qui clericos ipsarum ecclesiarum gratis in grammatica | facultate ac aliis instruat. U68v
Et ibidem De theologo in metropolitana ecclesia constituendo et de proventibus ipsorum, et in capitulo Prohibeas eodem tytulo generaliter dicitur (*X, 5, 5, 2, Fr. II. 769*), quod in locis congruis instituendi sunt viri providi et discreti pro aliorum instruccione. Et dicitur in Clementinis eodem tytulo capitulo 1 (*Clem. 5, 5, 1, Fr. II. 1179*), quod "debent esse viri katholici, sufficientem habentes hebrayce, | grece, arabie et caldee ligwarum noticiam, duo videlicet B230r
uniuscuiusque ligwe periti, qui scolas regant", et maxime "in studiis Romane curie Pariziensi, Oxoniensi, Bononiensi, et Salmatino" etc., ut ibi. "Pro licencia docendi nullus precium exigat vel sub obtentu conswetudinis ab eis, qui docent, aliquid querat, nec docere quemquam, qui sit ydoneus, petita licencia interdicat. Qui autem contra hoc venire presumpserit, ab ecclesiastico fiat beneficio alienus. Dignum quippe videtur, ut in ecclesia fructum sui laboris non habeat, qui cupiditate animi, dum vendit docendi licenciam, ecclesiasticum profectum nititur impedire", ut Extra, eodem tytulo, capitulo 1 (*X, 5, 5, 1, Fr. II. 769*). Et ibidem in capitulo Quanto dicitur (*X, 5, 5, 3, Fr. II. 769*): "Districte precipientes, ut quicumque viri ydonei et literati voluerint regere studia literarum, sine molestia qualibet scolas regere permittantur; si qui vero huius

**1836** salario *sic U, B* **1837** salariis] solariis *B* **1841** deferatis] hominibus deferatis *B* **1843** Nunquam] Nunquid *B* **1844** Beatus est] est *om. B* **1845** tempus] omne tempus *B* **1847** ipsis] episcopis *B* **1856** clericos] clericus *B* aliis *om. B* **1857** constituendo] et constituendo *B* **1865** exigat] exhibet *B* **1866** querat] querant *B*

[173] Pseudochrysostomi *Opus imperfectum in Matthaeum* (MPG 56, 880); vide et infra lin. 1842.

U68v prohibicionis vel precepti extiterint transgressores, | eos officiis et dignitatibus
spolietis". Et ibi in capitulo precedenti dicitur (*X, 5, 5, 2, Fr. II. 769*):
"Prohibeas, ne in parrochia tua pro licencia docendi exigatur aliquid aut eciam
promittatur. Si quid vero postea solutum fuerit vel promissum, remitti
promissum facias et restitui appellacione cessante solutum, sciens, quod
scriptum est Gratis accepistis, gratis date". Nec secundum Thancretum (*gl. ad*
*X, 5, 5, 2*) habet hic locus argumentum a contrario sensu, ut qui non gratis
B230v accipiunt, | sed per pecuniam symoniace, quod non volunt gratis dare, sed si
expendit multum, statim vult ea rehabere, quod est malum, ut dicit idem.
Ymmo secundum capitulum 1 (*X, 5, 5, 1, Fr. II. 768*) docenti debet provideri
de beneficio, ne pauperes gravat. Idem habetur in dicto capitulo Quia nonnulli
(*X, 5, 5, 4, Fr. II. 770*). "Sed, Ut quid membranas occupant, XIX distinccione
Si Romanorum, Cum istius constitucionis nullus sit effectus, sicut nec
precedentis, leges iste inposite sunt verbis et non rebus, cum pocius contrarium
servatur", de quo in glossa capituli Super specula eodem tytulo (*gl. ad X, 5, 5,*
*5, ad v. "docibiles"*). Quare quasi conclusive dicitur, prout habetur in glossa
dicti capituli Quia nonnulli (*gl. ad X, 5, 5, 5, ad v. "pauperes"*), quod "iste, cui
conpetens beneficium sive solarium constitutum est, a divitibus potest petere
collectam, sed a clericis pauperibus nichil exigere debet, sed gratis docere, quia
propter illos constituitur beneficium et non propter divites. Sed si ex honestate
U69r gratis | omnibus serviret, honeste faceret et laudandus esset, quia si vult dici
philosophus, debet proicere pecuniam exemplo Socratis, ut XXII q. II Socrates
(*C.12 q.2 c.76 § 3, Fr. I. 711*), et precipue qui propter honorem adipiscendum
legunt, non propter utilitatem aliorum, ut Digesta, De negociis gestis, Si
pupilli, paragrapho II. Alias divitibus gratis laborem suum impendere non
tenetur. Si vero beneficium nullum super hoc constitutum est, licite exigunt
collecionem, quia suis sumptibus hoc facere non coguntur, Extra, De
prescriptis, Cum ex officii". – De quo dic ut supra de salario iudicis delegati
eciam, quia | qui pro tempore prestat obsequium, debet consequi et benefi-
B231r cium, ut XII q. II Caritatem (*cf. C.12 q.2 c.45, Fr. I. 701–702*). Nec obstat, si
dicat, quod gratis docere debet, quia sciencia est donum Dei, ergo vendi non
potest, 1 q. III Non solum (*C.1 q.3 c.11, Fr I. 417*), "quia nichilominus potest
petere laboris sui mercedem, sicut testis, qui gratis testificatur, licite petit
sumptus, de quo supra. Licite ergo potest petere collecionem, cui beneficium
constitutum non est. Idem habetur XXXVII distinccione, De quibusdam, in
glossa (*gl. ad D.37 c.12 ad v. "magistri"*), et ibi additur, quod "predicator non
dicitur vendere predicacionem suam, et tamen petere potest sustentacionem, ut
XIII q. 1 Quia ergo, et Extra, De censibus, Cum venerabilis". Idem dicendum

**1883** secundum] secundo *B* provideri] profideri *B* **1886** Cum] Quando *B* **1892** collectam] colleccionem *B* **1900** colleccionem] collectam *B, glossa* **1901** salario] solario *B* **1902** quia qui] qui *om. B* **1907** colleccionem] collectam *B* **1911** Idem] Ibidem *B*

quantum ad medicos, ut habetur 1 q. 1 Qui studet in glossa (*cf. C.1. q.1 c.11, Fr. I. 337; gl. ibidem ad v. "sanitatis"*). Dicitur tamen in dicto capitulo, quomodo Gesy graciam Naaman Syro vendidit, eandem graciam sanitatis | Elyzeo vendicante leprosus factus amisit. *U69r*

Tercio circa istam secundam partem avaricie peccant, dum pecuniam recipiunt et male deserviunt. Ideo dicit Apostolus Ephesiorum ultimo (*Eph. 6, 5–8*): "Servi, obedite dominis carnalibus cum omni timore et tremore in simplicitate cordis vestri sicut Cristo, non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Cristi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino et non hominibus. Scientes, quoniam unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc percipiet a Domino, sive servus, sive liber". | Simili modo contingit ex negligencia et impericia medici corporalis *B231v* sive anime, scilicet sacerdotis. Cum tamen dicitur LIX distinccione capitulo ultimo (*D. 59 c.4, Fr. I. 226*), quod "debet ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit", et distinccione XXXVII paragrapho ultimo quasi pro racione dicitur (*D.37 c.15, Fr. I. 140*): "Quoniam, cum per ignoranciam cecati aliis ducatum prestare ceperint, ambo in foveam cadunt. Unde dicitur in Psalmo: Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum ipsorum semper in curva" – dicit glossa "id est subditi, qui sustentari debent a prelatis quasi in dorso" (*gl. ad D.37 c.15, ad v. "dorsum"*). Ideo sequitur in dicto paragrapho (*D.37 c.15, Fr. I. 140*): "Cum enim obsurantur illi, qui presunt, ad ferenda onera peccatorum, facile sequentes inclinantur. Elaborandum est itaque sacerdotibus, ut ignoranciam a se quasi quandam | pestem abiciant", quia secundum capitulum 1 distinccionis sequentis (*D.38* *U69v* *c.1, Fr. I. 141*) "ignorancia est mater cunctorum errorum", et in capitulo II sequenti dicitur (*D.38 c.3, Fr. I. 141*): "Si in laicis videtur intollerabilis insciencia, quanto magis in hiis, qui presunt, nec excusacione est digna nec venia", licet enim secundum paragraphum (*D.37 c.15, Fr. I. 140*) "servus nesciens voluntatem domini sui et non faciens dicatur vapulare paucis, non tamen hoc de omnibus generaliter intelligitur. Ait enim Apostolus: Qui ignorat, ignorabitur, quod de eo intelligendum est, qui noluit intelligere, ut bene ageret. Unde Augustinus ait in libro Questionum: Non omnis ignorans inmunis erit a pena. Ille enim | ignorans potest excusari a pena, qui quod *B232r* disceret, non invenit. Illis autem ignosci hoc non poterit, qui habentes a quo discerent, operam non dederunt". Et de ista materia vide Luce XII secundum Liram, in glossa interlineari[174] etc. – "Substancia enim summi sacerdocii sunt eloquia divinitus tradita, id est vera divinarum scripturarum disciplina", et "omne opus eorum in predicacione et doctrina consistat, atque edificent

**1922** percipiet] percipiat *B* **1929** Obscurentur] Obscurantur *B* **1934** Elaborandum ... sacerdotibus] Itaque laborandum est sacerdotibus *B* **1946** vide *om.* *B*

[174] Cf. *Postillam* Nicolai de Lira, glossam interlinearem ad Lc 12, 42–48.

cunctos fidei sciencia, quam operum disciplina", ut XXXVII distinccione 1 et capitulo Omnes psallentes (*D.38 c.6, Fr. I. 142; D.38 c.1, Fr. I. 141*). "Omnis enim vite institucio ad id quod tendit, se racione confirmat; qui minime literis operam dederit, preceptor esse non poterit literarum. Qui non per singula (U 69v) | creverit, ad meriti stipendii ordinem non potest pervenire. Solum sacerdocium inter ista, rogo, vilius est. Cur facilius tribuitur, cum difficilius impleatur?" Hec LIX distinccione capitulo ultimo (*D.59 c.4, Fr. I. 226*). Sacerdos enim legere sanctas scripturas admonetur Paulo apostolo dicente Tymoteo (*1. Tim. 4, 13*): "Attende leccioni, adhortacioni, doctrine, semper permane in hiis". – De quibus patebit in modo sequenti.

Quarto, quando in causa instituta consilium et patrocinium prebetur, de quo dictum est supra. Et dicitur in Psalmo (*Ps. 49, 19*): "Os tuum habundavit malicia et ligwa tua concinnabit dolos".

Quinto, dum sacra Scriptura contemnitur et ad sciencias lucrativas anhelatur et curritur. Ipsa enim sacra Scriptura (B 232v) | secundum Crisostomum super Mattheum in principio[175] dicitur apoteca graciarum. Sicut in apoteca divitis alicuius omnis homo, quod desiderat, invenit, sic et ibi omnis anima, quod necessarium habet, invenit. Hec ille. Scriptura enim sacra celitus est nobis missa, propter hoc, sicut hic exules et peregrini de literis carorum suorum de patria sua missis consolatur, ita consolatur anima Dei de scripturis sacris et divinis. Litere ergo nobis de patria misse recitantur, dum Scriptura predicatur. Unde Augustinus:[176] "Peregrinamur, suspiramus, gemimus, venerunt litere ad nos de patria nostra, ipsas recitamus vobis". Signum ergo est, quod ad celestem patriam non pertinent, qui has (U 70r) | literas audire vel servare nolunt. Ecce quales litere, qualia privilegia possidende hereditatis nobis data sunt, quibus rubrica et bulla apposita sunt! Item Crisostomus[177]: Ne aliquid doctrine Cristi deesset, secuta est forma, que ideo ad ultima delata est, ut quasi pro hereditate testamentum filii superstites eo devocius amplectarentur, quo Cristi sanguine conscripta privilegia sua viderent et impressam sue obediencie ymaginem bullam imputribilem exhiberent. "Sicut igitur stellas celi non extigwit nox, sic mentes fidelium inherentes firmamento sacre Scripture non obscurat mundana iniquitas" (*D.38 c.8, Fr.I.142*). Item Ieronimus: "Si iuxta apostolum Paulum (B 233r) | Cristus Dei virtus et Dei sapiencia est, ignorancia scripturarum ignorancia est Cristi". Hec XXXVIII distinccione, Sicut, in capitulo sequenti (*D.38 c.9, Fr. I.*

**1952** tendit] pertendit *B* **1953** singula] singula stipendia *B* **1954** ad meriti] et meriti *B* **1958–1959** De...sequenti *om. B* **1970** Scriptura predicatur] Scriptura predicantur *B* **1973** audire] videre *B* **1975** rubrica] et rubrica *B* **1978** sue obediencie] obediencie sue *B* **1980** obscurat] obscuret *U* **1981** Si] Di. *B* **1982** est Christi] Christi est *B*

[175] Cf. Pseudochrysostomi *Opus imperfectum in Matthaeum* (MPG 56, 13–15; cf. MPG 53, 32).

[176] Aurelii Augustini *Enarrationes in Psalmos* (MPL 37, 1952).

[177] Chrysostomi locum non invenimus.

*142*). Ideo secundum Isydorum "prohibetur cristianis legere figmenta poetarum, quia per oblectamenta fabularum nimium mentem excitant ad incentiva libidinum. Non enim thura solum offerendo demonibus ymolatur, sed eciam eorum dicta libencius capiendo", ut in capitulo ultimo precedentis distinccionis (*D.37 c.15, Fr. I. 140*). Unde dicit Rabanus eadem distinccione (*D.37 c.9, Fr. I. 137*): "Legimus de beato Ieronimo, quod, cum libros legeret Cyceronis, ab angelo correctus, eo quod vir cristianus paganorum figmentis intenderit. Hinc eciam filius ille | prodigus in ewangelio reprehenditur, qui de siliquiis, quas *U 70 r* porci manducabant, ventrem suum replere cupiebat". Hec ibi. Super quo loco dicit glossa ordinaria (*gl. ord. ad Lc 15, 16*): Silique "cibus demonum sunt, carmina poetarum, doctrine seculares sterili suavitate resonantes, que cum delectent, in eis nichil est, quod ad vitam pertinet, sed est sonitus et strepitus verborum, nulla refeccio, ut studiosi eorum fame veritatis et virtutum pereant". "Non enim" secundum Urbanum eadem distinccione (*D.37 c.6, Fr. I. 137*) "in dyalectica placuit Deus pater, Filius, Sanctus Spiritus. Regnum enim Dei in simplicitate fidei, non in contemplacione sermonis" (*D.37 c.7, Fr. I. 137*). "Hinc et (ibidem) Origenes ciniphes et ranas, quibus Egipcii percussi sunt, vanam dyalecticorum gar|rulitatem et sophistica argumenta intelligit". *B 233 v* Item Ieronimus (*D.37 c.3, Fr. I. 136*): "Nonne vobis videtur in vanitate sensus et obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in dyalectica arte torquetur, qui phisicus perscrutator oculos trans celum levat, et ultra profundum terrarum et abissi et quodam inane dimergitur, qui tantam metrorum silvam in suo studiosius corde distigwit et congerit, et, ut ad alteram partem transeam, qui divicias per phas et nephas querit, qui adulatur regibus, hereditates captat alienas et opes congregat, quas in | momento cui sit *U 70 v* relicturus ignorat? "Reprehenduntur ergo ab eodem Ieronimo, qui obmissis ewangeliis Dei et prophetis comedias legunt, amatoria bucolicorum versuum verba cantant". Hec XXXVII distinccione capitulo 1 et capitulo sequenti, et capitulo Legimus et paragrapho sequenti (*D.37 c.2, Fr. I. 135*).

Sexto peccant, qui occasione scienciarum huiusmodi se elevant et inflantur, quia secundum Apostolum huiusmodi "sciencia" secularis "inflat, caritas autem edificat" (*1. Cor. 8, 1*). Unde Bernhardus super Cantica inquit[178]: "Sunt, qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, et turpis curiositas est, et alii, ut sciantur, et turpis vanitas est, alii, ut scienciam suam aliis non dant, et turpis questus est, alii, ut ardencius edificant, et est caritas, alii, ut edificantur, et est prudencia". Et si secundum Augustinum in libro De conflictu viciorum et virtutum[179] "cupiditas dicat: valde sine culpa es, quod quedam habenda

**1986** thura] thaura *B* **1989** quod] qui *B* **1990** correctus *U, B*] correptus *Fr.* **1995** delectent] delectant *B* **1999** fidei] fidei est *B* **2005** dimergitur] dimergit *U* **2007** transeam] transeat *U* **2010** *ad v.* bucolicorum versuum] cantus rusticanus *B in marg.* **2016** et alii] et *om. B* **2020** quod quedam *em. sec. MPL*] que quidem *U, B*

[178] Bernardi Claraevallensis *Sermones in Cantica* (MPL 183, 968).
[179] Pseudoaugustini *De conflictu vitiorum et virtutum* (MPL 40, 1099).

B 234 r concupiscis, quia non multiplicari appetis, sed | egere pertimescis, et, quod malus alius retineret, ipse melius expendis", de hoc dic, ut dictum est in Punctis ante hoc, ubi dictum est de crudeli bestia[180], et ibi per Ieronimum, ut XII q. II, Gloria episcopi (*C.12 q.2 c.71, Fr. I. 710*). – Et si secundum Ambrosium cupidus dicat, quod iniustum est, si, cum aliena non invadam, propria diligencius servo, dic, ut dictum est ibidem in Punctis post hoc "aliud genus cristianorum est, ut sunt laici[181]" etc. Et tantum de isto. Versus:

U 70 v | Ruben, Achor cupidi Balaam Achab, Iuda, Gezi.

Et de largitate oposita cupiditati sive de hospitalitate eciam nota versum:

Martha, Raab, Loth, Obeth, Habram hospite gaudet.

Quarta peticio tangitur, cum dicitur, et hoc secundum Mattheum (*Mt 6, 11*) "panem nostrum supersubstancialem da nobis hodie", ubi secundum Liram[182] peritur sacramentum eucaristie. Unde Ieronimus[183]: "Panis corpus Cristi est, vel verbum Dei, vel ipse Deus, quo cottidie egemus, qui est super omnes substancias". Item Augustinus[184]: Hic est panis vivus, qui de celo descendit, cuius nature sublimitas super omnes substancias est. Et secundum glossam interlineareum[185] dicitur "nostrum", "quia Cristus noster est factus et Deus Pater cum Cristo omnia nobis donavit. Ideo oramus, ut quod nostrum est per donum, cottidie detur per effectum". Unde secundum Lucam (*Lc. 11, 3*) dicitur "panem nostrum cottidianum da nobis hodie", et sic secundum Liram[186] petitur, quod necessario requiritur ad vitam corporalem, scilicet sufficiencia victus, et in hoc intelliguntur peti omnia | B 234 v vite necessaria. Unde Crisostomus[187]: "Nunquid non suffecerat dicere sic: panem nostrum da nobis hodie? Ut quid ergo addidit cottidianum? Ut luxuriosos cibos conpescat. Ut tantum quis manducet, quantum racio naturalis exigit, non quantum lascivia

**2022** alius retineret] alios retinet *B* dictum est] est dictum *B* **2026** dic, ut] dic, quod *B* aliud genus] ad genus *B* **2027** Et tantum *om. U* **2028** *ad v.* Ruben] Gen. XLIX *U, B* (*Gen. 49,3–4*) *ad v.* Achor] Iosue VII *U, B* (*Jos. 7,16 sqq.*) *ad. v.* cupidi] ubi sunt isti positi *B* Balaam] Balaamque *B*] *ad hanc vocem* Numeri XXI *U, B* (*Num. 22,18*) *ad v.* Achab] 3[ii] Regum XX *U*] 3[ii] Regum XXI *B* (*3 Regum 21,1–24*) *ad v.* Iuda] Iozue XII *U*] Io XV *B* (*Jos. 15,6 sqq.*) *ad v.* Gezi] 4[i] Regum V *U, B* (*4 Reg. 5,20–27*) **2029** Et de... nota versum *om. U* **2030** *ad. v.* Martha] Mathhei XXI, Iohannis XII *U, B* (*Lc. 10,38 sqq., Joh 11,5 sqq.*) *ad v.* Raab] Iozue II *U, B* (*Jos. 2,2–7*) *ad v.* Loth] Genesis XIX *U, B* (*Gen. 19,1–3*) *ad v.* Obeth] Ruth II *U, B* (*Ruth 4,17*) Habram] Abraham *U* *ad hanc vocem*] Gen. XVIII *U, B* (*Gen. 19,23–33*) hospite gaudet *om. U* **2031** tangitur *om. B* **2043** suffecerat] sufficeret *B*

[180] Nicolai Dresdensis *Punta*, f. 12r[a–b].

[181] Ibidem, f. 12 sqq.

[182] *Postilla* Nicolai de Lira ad Mt 6, 11.

[183] Hieronymi locum non invenimus.

[184] Aurelii Augustini locum non invenimus.

[185] Walafridi Strabonis *glossa ordinaria ad Mt* 6,11 (MPL 114, 102).

[186] *Postilla* Nicolai de Lira ad Lc 11,3.

[187] Pseudochrysostomi *Opus imperfectum in Matthaeum* (MPG 56, 713–714).

carnis inpellit. Si enim in uno convivio tantum expendis, quantum sufficere poterat centum hominibus viventibus | moderate, aut tibi ipsi centum diebus *U71r* disciplinate viventi, iam cottidianum non manducas, sed mulorum dierum. Item quare non solum dixit: panem cottidianum da nobis, sed addidit nostrum panem? Propter duas raciones: primum, quia omnia, que nobis dat Deus, sive orantibus, sive militantibus, non nobis solis dat, sed eciam aliis per nos, ut de eo, quod accepimus, partem impotentibus faciamus. Qui ergo de laboribus suis indigentibus prestat, non potest dicere "panem meum da michi". Nec enim panem suum tantummodo manducat, sed eciam alienum. Deinde qui de iusticia acquisitum panem manducat, suum panem manducat, qui autem cum peccato, alienum".

Donum, quod petitur, est fortitudo, virtus esuries et sitis iusticie, beatitudo saturitas, vicium oppositum accidia. Est autem accidia secundum Bernhardum in sermone[188] quidam animi torpor, quod quis negligit aliqua bona inchoare aut fastidit perficere. Vel secundum eundem in epistolis[189] accidia est animi quidam langwor, cum legere non libet, orare non delectat, | meditaciones *B235r* sollicite non senciuntur. – Et dicitur accidia quasi ad casum accedens, quia ad casum boni spiritualis accedit, qui operaciones bonas refugit et ocium et quietem querit. Versus:

Diligit accidia requiem fugitque labores.

Unde secundum Augustinum in libro De conflictu viciorum et virtutum[190]: "Torpor | et ignavia dicunt: si leccioni continuato studio semper insistis, *U71r* oculorum caliginem incurris; si indesinenter lacrimas fundis, eciam ipsos oculos amittis; si cottidiano labore te conficis, ad opus spirituale non consurgis. Exercicium respondet: Quid tibi proferenda tam longa temporum proponis spacia? Nunquid scis, an crastina die vivas, ymo eciam vel unam horam in hac vita facias? An forte menti excidit, quod Salvator in ewangelio dicit: Vigilate, quia nescitis diem neque horam? Quapropter discute corporis inerciam semperque memento, quia regnum celorum non tepidi, non molles, non desides, sed violenti vimque facientes diripiunt". Hec ille. Sed dicit Seneca epistola VII[191]: "Non iubeo te semper insistere libris aut calamis, scripture aut pugillaribus, sed dandum est intervallum animo, ita quod non resolvatur, sed acuatur". Secundum ergo Bernhardum[192] cum te accidia vel tedio affici sentis,

**2048** cottidianum] cottidianum cibum *B, MPG* **2050** primum] primo *B* **2052** accepimus] accepimus a Deo *B* **2060–2061** accidia ... legere non *om. B* **2064** quietem] quietum *U* **2069** labore te] te labore *B* **2070** Quid] Quod *U* **2071** spacia *em. sec. Aug.*] sapiencia *U, B* **2072** forte *om. B* excidit] accidit *B*

[188] Bernardi Claraevallensis locum non invenimus.
[189] Cf. Pseudobernardi *Vitam mysticam* (MPL 184, 674).
[190] Pseudoaugustini *De conflictu vitiorum et virtutum* (MPL 40, 1098).
[191] L. Annaei Senecae *Epistula* 15,6.
[192] Bernardi Claraevallensis locum non invenimus.

noli propterea diffidere atque desistere a studio spirituali, sed iuvantis require manum trahi post te, eum obsecrans. — Pigricia autem est animi inercia vel B235v fatigacio, qua quis bonum inchoatum continuare fastidit, ut dicit | Tulius De thusculanis questionibus[193].

Quibus modis peccatum accidie conmittitur, versus:

U71v Ad quid sit natus, tempus, fructus, | simul hostem,
quod sit conductus, mala prospicit accidiosus.

Expone: accidiosus prospicit, id est prospicere debet, ad quid sit natus — quia ad laborem, eciam dato, quod non peccasset, ut dicit Gregorius super illud Genesis II Posuit Deus hominem in paradiso, ut operaretur et custodiret illud[194]. Unde Iob V "Homo ad laborem nascitur et avis ad volandum" (*Job 5, 7*), et Genesis III (*Gen. 3, 18—19*) "In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vite tue. In sudore vultus tui vesceris pane, donec convertaris in terram, de qua assumptus es". Ideo peccat, qui laborem fugit. De utilitate exercicii sive laboris narrat sanctus Fulgencius in quodam sermone suo[195], quod quidam philosophus interrogatus, ad quid esset utile exercicium, sic respondit: Exercicium est humane vite conservacio caloris naturalis, lima et excitacio nature, dormientis stimulacio, superfluorum consumpcio, membrorum consolidacio, mors morborum, fuga viciorum, medicina langworis, temporis lucrum, iuventutis debitum, senectutis gaudium, devinccio omnium malorum, ocii inimicum. Ille ergo ab exercicio se subtrahat et labore, qui felicitatis gaudio perpetuo vult carere. Hec ille. Quicunque enim non laboraverit celum inhabitare, non erit U71v civis celi, dicit Bohecius | libro primo De consolacione philosophie[196]. — Ideo dicit Beda super Proverbia libro II[197]: "Vult et non vult piger. Recte pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Deo et non laborare pro eo. B236r Delectant | premia, cum pollicentur, deterrent certamina, cum iubentur". Unde dicitur Ecclesiastici III (*Eccli. 3, 22*): "Que precepit Deus tibi, illa cogita semper", et IIII dicitur (*Eccli. 4, 30*): "Non contradicas verbo veritatis ullomodo", et VI inquit (*Eccli, 6, 37*): "Cogitatum habe in preceptis Dei, et in mandatis illius maxime assiduus esto, et ipse dabit tibi cor, et concupiscencia sapiencie dabitur tibi". — Et de ista materia vide, ubi dictum est in Punctis de labore clericorum et monachorum et de pena non laborancium ibidem ante hoc, ubi dictum est de inchoacione cardinalium et religiosorum post Bernhardum ad Eugenium papam[198].

**2083** accidie] cottidie *U* **2085** quod] qui *B* **2086** Expone] Exponet *B* **2088** operaretur] operetur *B* **2101** dicit] ut dicit *B* **2103** pro eo] pro Deo *B* **2109** de labore] et labore *B*

193 M. Tullii Ciceronis locum non invenimus.
194 Gregorii Magni locum non invenimus.
195 In Fulgentii sermonibus neque ingenuis neque suppositis invenimus.
196 Cf. M. A. Severini Boethii *Consolationem philosophiae* l. I. prosam 5.
197 Bedae Venerabilis *Super parabolas Salomonis alegorica expositio* (MPL 21, 978).
198 Nicolai Dresdensis *Puncta*, f. 30 f[b].

Secundo respicere debet tempus, quod inutiliter expendit et infructuose.
Tempus enim ·res nobilis est et datur homini ad utiliter operandum seu
laborandum. Ideo multum deliquit, qui tempus inutiliter expendit, ut dicit
Gregorius super Iob XIIII[199]. Ideo Ecclesiatici XV dicitur (*Eccli. 15, 21*):
"Nemini debet Deus spacium peccandi". Et XX ibidem (*Eccli. 20, 7*):
"Lascivus et imprudens non servabunt tempus". Unde Augustinus[200]: Omne
tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc conputa perdidisse, quia "tempus
amplius non erit", ut Apocalipsis X (*Apoc. 10, 6*). Sed carens veste nupciali
ligatis manibus et pedibus | proicietur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et *U72r*
stridor dencium, Matthei XXV (*Mt 22, 13–14; cf. 25, 30*). Unde dicit
quidam[201]:

"Disce, puer, dum tempus habes, ne tempora perdes".

Tercio respicere debet fructum, quem colligere debuit. Unde ille peccat, qui
| ex talento sibi conmisso negligit ex accidia fructum facere. Multa enim bona, *B236v*
scilicet nature, ut est pulcritudo, fortitudo corporis, et alia disposicionem
corporis respiciencia sive anime, sicut est industria, ingenium sive capacitas, et
sic de aliis bonis anime, et fortune, ut sunt divicie, vestimenta, amici, et sic de
aliis fortunam respicientibus, et gracie, ut est bona fama sive inspiracio vel
conservacio divina a casu in peccatis, et sic de aliis consimilibus graciam
respicientibus, tradidit Deus homini sub mutuo, quia Deus ex hiis fructum sive
usuram requiret, quam accidiosus solvere non valet, quia "mutuabitur
peccator et non solvet, iustus autem miseretur et retribuet" (*Ps. 36, 21*).
— Unde dicit Augustinus in Omelia super illud Iohannis X Nisi granum
frumenti etc.[202]: "Cum auditis, fratres, Dominum, dicentem 'ubi ego sum, et
illic minister meus erit', nolite tantummodo bonos episcopos et clericos
cogitare; eciam vos pro modo vestro ministrate Cristo bene vivendo, elemosi-
nas faciendo, nomen doctrinamque eius, quibus potueritis, predicando, ut
unusquisque eciam paterfamilias hoc nomine agnoscat | paternum affectum sue
familie, pro Cristo et pro vita eterna suos omnes moneat, doceat, hortetur,
corripiat, impendat benivolenciam, exerceat disciplinam, ita ut in domo sua *U72r*
ecclesiasticum et quodammodo episcopale implebit officium ministrans Cristo,
ut | in eternum sit cum ipso. Nam et illam passionis ministracionem multi ex *B237r*
vestro numero ministraverunt, multi non episcopi neque clerici, iuvenes et
virgines, senes cum iunioribus, multi coniugati et coniugate, patres matresque
familias ministrantes Cristo, eciam animas suas in eius ministerio posuerunt et

2124 perdes *sic U, B* 2125 quem] quam *B* 2133 requiret] requirat *B* 2134 solvet] solvat *B* retribuet] retribuat *B* 2138 ministrate] ministerium *U* 2146 cum iunioribus] cum mulieribus *U* 2147 Cristo] cum Cristo *U*

[199] Gregorii Magni locum non invenimus.
[200] Aurelii Augustini locum non invenimus.
[201] Walther, *Proverbia sententiaeque Latinitatis medii aevi*, n. 5876.
[202] Aurelii Augustini *In Johannis evangelium tractatus*, LI (MPL 35, 1768–1769).

honorificante Patre coronas gloriosissimas receperunt". Hec Augustinus. – Et de ista materia, scilicet quantum quis accepit, sive eciam unicum ewangelium vel exhortacionem, quod debeat aliis ministrare, si assit vel velit audire, eciam ubique, in platea, in domo, in agro, sive in mari etc., vide, ubi dictum est de quadruplici missione post Ieronimum, Augustinum, Crisostomum, et alios doctores[203].

Quarto respiciat hostem, id est dyabolum, quem ociosus forciorem reddit. Unde peccat, qui inimico viam parat et oportunitatem, ut eum interficiat. Hoc facit accidiosus, quia ocium et accidia faciunt hominem cadere in vicia, et precipue in luxuriam. Unde Ovidius[204]:

*U 72v* "Queritur, Egistus | quare sit factus adulter?
In promptu causa, quia desidiosus erat."

– Et de isto vide supra, ubi dictum est de luxuria. Unde Ieronimus ad Rusticum monachum inquit[205]: "Semper aliquid boni facito, ut dyabolus inveniat te occupatum".

Quinto respiciat, quod sit conductus in vinea Domini ex denario diurno, Matthei XX (*Mt 20, 6*): "Quid statis hic tota die ociosi?" etc., de quo eciam ubi supra.

Sexto respiciat et mala, que ociositas et accidia in se colligunt – Ecclesia-*B 237v* stici XXX (*Eccli. 33, 29*): | "Multam maliciam docuit ociositas"; ideo "qui sectatur ocium, stultissimus est", ut Proverbii XII (*Prov. 12, 11*).

De ramis accidie versus:

Te. mol. cum somp. o. dila. tar. negligit semper,
bon. re. dis. ig. inde. sunt scelus accidie.

Expone: scelus, id est rami pleni scelere, qui nascuntur ex arbore accidie, sunt, qui secuntur: Primus tepiditas et modicus fervor, quem quis habet in hiis bonis, que agit. Et illa tepiditas reddit hominem invalidum ad penitenciam. Sunt enim aliqui fortes in corpore, et tamen non possunt facere terciam partem penitencie, quam fecerat una vetula, et tales Deus evomit, ut Apokalipsis III (*Apoc. 3, 15–16*): "Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. *U 72v* Utinam frigidus esses aut calidus! Sed quia | tepidus es, incipiam te evomere de ore meo". Dicit glossa[206]: "neque frigidus neque calidus est, qui partim malus et partim bonus, intus malus, exterius apparens bonus". Ideo dicitur "utinam frigidus esse" etc., quia secundum glossam (*gl. interlinearis ad Apoc. 3, 15*) 'maior est spes de frigidis', qui propter ignoranciam minus habent peccatum, et

**2163** in vinea] in vineam *B* **2164** ubi supra] ubi *om. B* **2176** fecerat] faceret *U* **2177** tua *om. B* **2180** intus malus *om. B*

[203] Nicolai Dresdensis *De quadruplici missione*, ed. Sedlák, 104.
[204] P. Ovidii Nasonis *Remedia amoris*, 161–162.
[205] Hieronymi *epistula ad Rusticum monachum* (MPL 22, 1078).
[206] Alberti Magni *In Apocalipsim expositio*, *Opera omnia*, t. XXXVIII, 541.

accepta conversionis gracia cicius ad veram iusticiam pertingunt, eciam, quia tunc apparet malicia, et aperta malicia correccionem habet, non decepcionem. Et nota, quod calidum et frigidum non provocant nauseam, sed tepidum; eodemmodo fit in ecclesia, quod Dominus predicatores frigidos in peccatis frequenter ad se convertit, calidos, id est bonos, magis ferventes facit, sed tepidos de ore proicit, quia tales indignos iudicat ab | eis verbum predicacionis *B 238r* audire. Propter quod dicit "incipiam te evomere", quia Dominus non eicit peccatorem in momento de consorcio sanctorum, sed paulatim, expectando penitenciam.

Secundus est mollicies, que est species luxurie, ut supra visum est. Aliomodo est ramus accidie, et sic dicitur impaciencia dure rei. Talis homo sic mollis comparatur cere vel nivi, que ad aspectum modici caloris liquefiunt: sic mollis homo liquescit et deficit, dum illi duricia alicuius tribulacionis occurrit. Et talis vix facit | bona opera. "Et hic est, qui supra petram seminatus est, qui *U 73r* verbum audit et continuo cum gaudio suscipit illud, non autem habet in se radicem, sed est temporalis" (id est ad modicum tempus stans); "facta enim tribulacione et persecucione propter verbum, continuo scandalizatur", ut Mathei XIII (*Mt 13, 21*). Ubi dicit Rabanus[207]: Supra petram et in spinis seminantur, qui bene accipiunt, sed vel adversa terrendo vel prospera blandiendo retardant eos, ne proficiant. "Qui ergo perseveraverit usque in finem, hic salvus erit", Matthei X et XXIIII (*Mt 10, 22; Mt 24, 13*). Concordat Matthei VII (*Mt 7, 24–27*), ubi dicitur de viro sapienti, qui edificavit domum suam supra petram, et non patitur ruinam, sicut domus stulti, super arenam fundata.

Tercius est sompnolencia, a "sompnio, -as", quod est idem, quod pigricia, que immittit soporem. De quo Proverbii XXIIII dicitur (*Prov. 24, 30–32*): "Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti. Et ecce, | totum *B 238v* repleverant urtice, operuerant superficiem eius spine, et maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam". "Usquequo, piger, dormis? Usquequo de sompno surges?" (*Prov. 6, 9*). Et sequitur (*Prov. 24, 34*): "Veniet tibi quasi cursor egestas tua, et mendicitas quasi vir armatus". Et XXVI (*Prov. 26, 13–15*): "Dicit piger: leo est in via, leena in itineribus. Sicut vertitur hostium in cardine suo, ita piger | in *U 73v* lectulo suo. Abscondit piger manus sub ascellas suas et laborat, si ad os suum eas converterit". (Et de isto vide supra, ubi dictum est de ornatu lectorum). Et XXVIII dicitur (*Prov. 28, 19*): "Qui operatur terram suam, saciabitur panibus, qui vero sectatur ocium, implebitur egestate".

Ideo sequitur quartus ramus, qui dicitur ociositas. Et talis dicitur stultus,

**2192** que est] que unomodo est *B* **2194** dure rei] donec rei *B* **2195** liquescit] liquefit *B* **2196** bona opera] opera bona *B* **2197** cum gaudio *om.* *B* **2202** Qui ergo] Qui autem *B* **2206** sompnio, -as] sompnio, -as, -are *B* **2207** soporem] saporem *U* **2211** surges] consurges *B* **2214** vertitur hostium] hostium vertitur *B* **2219** dicitur] est *B* Et talis] ut talis *B*

[207] Cf. Hrabani Mauri *Commentarii in Matthaeum* (MPL 107, 945).

quia negligit vite terrene necessaria querere, stulcior, quia non vult pro vita gracie laborare, stultissimus, quia mercedem vite eterne pro temporali quiete vult dimittere. Ideo dicit Seneca epistola VII[208]: "Ocium et sollicitudo non docent bonum", et XI De animalibis dicitur[209]: "Nullum ens naturale natum est ociose, sed unicuique eciam opus est aliquod attributum", ut super primo De anima[210]. Ideo VI De animalibus dicitur[211]: "Bonum est, quod patres corrigant filios ociosos, et ideo rectores apum ociosos a se eiciunt", ut ibi. Unde dicit Lira 2ⁱ Regum XI: "Ociosus quasi in Ierusalem remanens David in adulterium lapsus est". Unde poeta[212]:

"Ocia si tollas, perire cupidinis arcus.
*B 239 r* Queritur, | Egistus" etc., ut supra.

"Ociositas enim et voluptas sunt arma antiqui hostis ad miseras animas capiendas", ut Extra, De renunciacione, Nisi cum pridem, paragrapho Verum (*X, 1, 9, 10, Fr. II. 110*), et allegat ibi Bernhardus versus dictos supra "ocia si *U 73 v* tollas...", "queritur, Egistus..." etc. – De isto vide | in Punctis, ubi dictum est de labore post Ieronimum De consecracione, distinccione V, Nunquam[213]. Et quia

ocia dant vicia, fugiant ergo procul illa[214].

Quintus est dilacio boni inchoandi, quia accidiosus differt bona facere et libenter dicit "cras, cras", sicut corvus. Cui dicit Psalmus (*Ps. 118, 126*): "Tempus faciendi, Domine", et poeta[215]:

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

– Et de isto vide in Punctis, ubi dictum est de festo malorum[216]. Unde dicit Augustinus sermone XLVIII[217]: "Converso tibi Deus indulgenciam promisit? Aut, si forte promisit, mathematicus longe est ipse aliud quam Deus. Multos enim mathematici fefellerunt". Idem dicit in libro De penitencia, et habetur De penitencia distinccione VII (*De pen. D.7 c.6, Fr. I. 1246*): "Nullus expectat, quando peccare non potest. Qui prius itaque a peccatis relinquitur, quam ipsa relinquat, ea non libere, sed quasi necessitate condempnat. Licet enim latro veniam meruisset eciam in fine de omni crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi et perseverandi auctoritatem". Et sequitur: "Timendum est de

**2220** terrene *om. U* **2222** Ocium] Ocia *B* **2237** procul illa] procul illa. Florista. *B* **2246** expectat *sic U* ᴰ

[208] Cf. L. Annaei Senecae *Epistulam* 94, 69; ep. 25,5.
[209] Cf. Aristotelis *De animalium generatione* (Bekker 775a–b).
[210] Cf. *Auctoritates* Aristotelis, ed. Michel Le Noir, Parisiis 1493, f. 47r.
[211] Aristotelis *De animalium generatione* (Bekker 760b, 15–21).
[212] P. Ovidii Nasonis *Remedia amoris* 139, 161.
[213] Nicolai Dresdensis *Puncta*, f. 29 $v^b$.
[214] Walther, *Proverbiaque sententias Latinitatis medii aevi* n. 20490.
[215] P. Ovidii Nasonis *Remedia amoris* 94 (cf. Walther n. 24398).
[216] Nicolai Dresdensis *Puncta*, f. $30r^b$.
[217] Aurelii Augustini *Sermones* (MPL 38, 536).

penitente sero: quem enim morbus urget et pena terret, ad veram vix veniat satisfaccionem, maxime cum filii, quos illicite dilexerat, sint presentes, | et uxor B239v
et mundus ad se vocent; multos solet serotina penitencia decipere. Quoniam multa sunt, que impediunt | et lagwentem retrahunt. Periculosum est et U73v
interitui vicinum, ad mortem pertrahere penitencie remedium". Hec ille. – Et de materia penitencie sufficienter dictum est in Punctis[218].

Sextus est tarditas. Et differt a dilacione, quia dilacio respicit inchoacionem boni, sed tarditas est, cum de bono inchoato parvum procedit et parvum proficit. Et coincidit cum illo, quod dictum est supra de pigricia.

Septimus est negligencia, quando non curat ille, qui agit, utrum bene vel male agatur, dum tamen opus perficiatur et ipse a labore expediatur. Et sic differt a tarditate, quia licet tardus parum proficit, vult tamen rem bene fieri, sed negligens non curat. Unde dicit Ieremias, et ponitur Extra, De officio archiepiscopi, in glossa c. II (*Jer. 48, 10; glossa ad X, 1, 24, 2, ad v. "indeclinabiliter"*) "Maledictus, qui negligenter facit opera Dei", quia "omnia cum discrecione, que noscitur omnium virtutum esse mater, sunt agenda", ut Extra, De officio custodis, c.1 et 1.q. V, Presencium (*X, 1, 27, 1, Fr. II. 155; C.1 q.5 c.3, Fr. I. 424*). Sic dicitur Extra, De collusione, in glossa c.1. (*glossa ad X, 5, 22, 1, ad v. "qualitas"*): "Deus non est remunerator nominum, sed adverbiorum, hoc est dicere non remunerat Deus bonum, quod fit, sed quod bene fit. Unde non remuneravit Iudeos, qui Cristum crucifixerunt, licet mors Cristi bona fuerat, quia per eam de penis inferni nos redemit, et ideo non remuneravit eos, quia non bene fecerunt. Deus enim cor interrogat et non U74r
manum, XIIII | q.V Si quid invenisti, nec considerant, que fiunt, | sed quo B240r
animo fiunt, XV q.VI c.1 in fine.

Octavus est inperseverancia in bono, quod vicium regnat in illis, qui bene inchoant, sed non consumant. Unde Bernhardus in epistola ad Ianuenses[219]: "Tolle perseveranciam; nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gloriam, nec laudem fortitudo. Denique non qui incipit, sed qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. Perseverancia est vigor virium, virtutum consummacio, nutrix ad meritum, mediatrix ad premium, soror paciencie, amica pacis, amiciciarum modus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis". Idem ad Garrium Alpensem[220]: "Nunquam iustus arbitratur se conprehendisse, nunquam dicit satis est, quia semper esurit et sitit iusticiam, ita ut si semper viveret, semper, quantum in se est, iustior esse contenderet, et semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel tempus instar mercennarii, sed in eternum divino se famulatui mancipavit". Unde

**2254** retrahunt *Fr.*] attrahunt *B*] retrahentem *U* **2260** vel male] an male *B* **2286** Non enim] animo enim *B*

[218] Nicolai Dresdensis *Puncta*, f. 38r$^a$–40r$^b$.
[219] Bernardi Claraevallensis *Epistola ad Januenses* (MPL 182, 284).
[220] Bernardi Claraevallensis *Epistola ad Guarinum Alpensem* (MPL 182, 460).

Psalmus (*Ps. 118, 112*): "Inclina cor meum, Deus, ad faciendum iustificaciones tuas in omni tempore". Item Gregorius in Moralibus[221]: "Mirum non est, quod quis bona inchoet, sed mirabile est, si intencione recta in bono opere perduret". Item Isydorus De summo bono[222]: Salus perseverantibus promit-
U 74r titur, premium perseverantibus datur. | Non enim est beatus, | qui bonum facit,
B 240v sed qui incessabiliter facit. Qui enim perseveraverit in finem, salvus erit. Item Crisostomus super Mattheum[223]: Non incepisse, sed perfecisse virtutis est, etc. Sola enim perseverancia coronabitur.

Nonus est remissio, scilicet qui in bene operando cottidie deterius se habent, sicut tardi prelati, qui corrigunt minima, et non curant corrigere maiora vicia. De quibus Salvator Matthei XXIII (*Mt 23,23*): "Ve vobis, scribe et pharisei ypocrite, qui decimatis mentam et anetum et ciminnum, et relinquitis, que graviora sunt legis, iudicium, misericordiam, et fidem". Et sequitur (*Mt 23,24*): "Duces ceci, excolantes culicem, camelum autem glucientes". Dicit Lira[224], quia illa, que erant magne utilitatis, facere obmittebant, et alios ad observandum inducere negligebant. Similiter faciunt sacerdotes et prelati, qui sollicite arguunt et argui procurant subiectos de reddicione decimarum, et consimilium, que eis debentur, et parum curant, si in maioribus criminibus involvantur. Que autem sunt illa maxima a phariseis neglecta, subdit (*Mt 23,23*): "Iudicium, misericordiam, et fidem". "Sacerdotes enim" secundum Crisostomum[225] "avaricia pleni, si quis de populo decimas non obtulisset, ita eum corripiebant, quasi magnum crimen fecisset. Si quis autem
U 74v in populo peccabat, aut alterum ledebat, aut aliquid tale faciebat, | nemo curabat corripere eum, quasi nullam culpam fecisset, qui in Deum peccabat. Et
B 241r de suo quidem | lucro sollicite agebant, de gloria autem Dei et salutem animarum negligebant. Sic et modo fit: ecce enim, si episcopus debitum honorem non acceperit a presbitero aut presbiter a dyacono aut dyaconus a lectore, irascitur, tribulatur. Si autem viderit episcopus presbiterum aut presbiter dyaconum circa ecclesie obsequium non permanentem, aut alios peccantes in Deum, nec irascuntur eis nec curant, quia omnes de suo honore solliciti sunt, de honore autem Dei nullus, quia porciones quisque suas secundum dignitates suas vigilanter aspiciunt et defendunt, et secundum dignitatem suam curam impendere circa obsequium ecclesie non attendunt. Si

**2289** tempore] tempore, non tantum dicit septem annos vel ad tres *B* **2290** inchoet] inchoat *B* **2291** perduret] perdurat *B* **2299** ypocrite] et ypocrite *U* **2302** utilitatis] necessitatis *B* **2303** observandum] talia observandum *B* **2309** crimen] sibi crimen *B* **2312** salutem animarum] salutem hominum *B*] salute, Dominum *MPG* **2314–2316** a dyacono... aut presbiter *om. B* a lectore *em.*] alcior est *U*

[221] Gregorii Magni *Moralia* (MPL 75, 1015).
[222] Isidori Hispalensis locum non invenimus.
[223] Chrysostomi locum non invenimus.
[224] Cf. *Postillam* Nicolai de Lira ad Mt 23, 24.
[225] Pseudochrysostomi *Opus imperfectum in Matthaeum* (MPG 56, 884).

populus decimas non obtulerit, murmurant omnes contra eos" etc., ut ibi. Ideo dicitur Proverbii X (*Prov. 10,4*): "Egestatem operata est manus remissa", dum scilicet superior in corrigendo vicia remittitur. Et talis negligens corrigere pocius dicitur canis impudicus quam episcopus etc., de quo vide in Punctis[226]. Ymo laici et seculares domini vicia, utpote symonie, fornicacionis, et similia, non corrigentes, reddent racionem domino Deo de sua ecclesia, quam eis tuendam conmisit, ut plene dictum est ibidem.

Decimus est dissolucio, | quando aliquis ad aliqua bona agenda non est *U 74 v* ydoneus, sed quantum ad hoc est quasi vas fractum et ad lascivias et deordinaciones carnales est paratus et promtus; et de isto dic, prout dictum est in Punctis de abusionibus seculi et claustralium[227].

Undecimus est ignavia, quando aliquis pocius eligit in aliqua re indecenti remanere quam aliud laborare et inde se eripere. Ut, si quis iaceret in luto, qui, si parum laboraret, iaceret in loco honesto, talis esset merito arguendus – Iozue XVIII (*Jos. 18,3*) "Usquequo marcetis ignavia, et non intratis ad *B 241 v* possidendam terram, quam dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?"

Duodecimus est indevocio, et est ariditas anime, dum non est aliquo humore gracie humefacta – Psalmus (*Ps. 142,6*): "Anima mea sicut terra sine aqua tibi". Et istud vicium maxime invalescit, dum anima cibum spiritualem, scilicet corpus est sanguinem Cristi, raro sumit – Psalmus (*Ps. 101,5*): "Arruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum".

Et tantum de accidia et eius ramis.

Versus:

Sodoma, Iudea, pigri Loth, Vasti et Orpha.

Et de fortibus nota versum:

Sunt fortes Iozue, mulier in Sap., Ionathasque.

Et de robustis vide II Regum penultimo.

Quinta peticio oracionis | dominice tangitur, cum dicitur: "et dimitte nobis *U 75 r* debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris". In qua peticione, secundum quod dicit Lira[228], "petitur illud, per quod consequimur beatitudi-

2321 obtulerit] obtulit *B* 2323 remittitur] non remittitur *B* 2324 in Punctis] ubi dictum est in Punctis *B* 2338 humore] honore *B* 2344 *ad v.* Sodoma] Genesis XVIII, XIX *U, B* (*Gen. 18–19 passim*) *ad v.* Iudea] Exodi XIIII, XVI *U*] Exodi XIII, XVI, Iosue XVIII *B* (*Ex. 14,10–14; 16,2–3; Ios. 18,2 sqq.*) pigri *om. U* *ad v.* Loth] generi et uxor Genesis XIX *U, B* (*Gen. 19,12 sqq.*) *ad v.* Vasti] Hester 1 *U, B* (*Est. 1,10–12*) *ad v.* Orpha] Ruth 1 *U, B* (*Ruth 1,14*) 2345 Et... versum *om. U* 2346 *ad v.* Iozue] Iozue VIII,1 (*Ios. 18,3; 1,6–7*) *ad v.* mulier in Sap.] Proverbii ultimo, Sap. II, Esdre, Iudas prima Mach. II *U, B* (*Prov. 31,10 sqq.; 1 Mac. 2,66*) *ad v.* Ionathasque] primi Regum XVIII *B*] primi Regum XIIII *U* (*1 Reg. 14,1–15*) 2349 dimittimus debitoribus nostris *om. B*

[226] Nicolai Dresdensis *Puncta*, f. 16v[a] sqq.

[227] *Ibidem*, f. 28r[a]–29r[a].

[228] *Postilla* Nicolai de Lira ad Mt 6, 12, Sequitur: "Illud autem quod primo et principaliter... debita nostra": cf. Thomae Aquinatis *Summa theologica* II/2, q. 83, a.9, in conclusione; vide et infra lin. 2358–2360.

nem, sicut per removens prohibens". Illud autem, quod primo et principaliter impedit nos a consecucione beatitudinis, est peccatum iam conmissum, quia ad beatitudinem ingredi non possumus, donec peccatum conmissum sit totaliter dimissum quantum ad culpam et penam. Ideo hanc dimissionem petimus quinto loco, cum dicitur "et dimitte nobis debita nostra". Dicit glossa B 242r ordinaria (*gl. ordinaria ad Mt 6,12*): "Post cibum | petit veniam peccatorum, ut qui a Deo pascitur, in Deo vivat, et ad vitam eternam perveniat". Subditur autem "sicut et nos dimittimus" etc., quia, ut dicit Lira, "hec regula est nobis imposita: si volumus nobis dimitti peccatum nostrum, ita debemus dimittere proximo peccatum in nos conmissum". Unde Crisostomus: "Cum qua spe orat, qui maliciam servat adversus alterum, a quo forsitan est lesus? Ille enim orans mentitur; dicit enim remittere et non remittit. Sic a Deo petit indulgenciam et illi non indulgetur. Si ergo quis lesus, sine causa, orat Deum, nisi indulserit ei, a quo lesus est. Putat, quomodo orat, qui non solum ab altero lesus non est, sed ipse per iniusticiam alios ledit et gravat. Sed multi homines, U 75r nolentes dare veniam peccantibus in se, fugiunt istam oracionem orare. | Stulti: primum, quoniam qui non sic orat, quemadmodum Cristus docuit, nec est Cristi discipulus, 2° quia nec Pater libenter exaudit oracionem, quam non dictavit Filius. Cognovit enim Pater Filii sui sensum et verba, non suscipit, que usurpacio humana excogitavit, sed que sapiencia Cristi exposuit. Oracionem ergo dicere potes, circumvenire autem et fallere Deum non potes, nec accipis indulgenciam, nisi prius indulseris ipse". Hec Crisostomus[229]. Item Augustinus[230] super eodem "dimitte nobis debita nostra" etc.: In hac peticione, inquit, si mentimur, tocius oracionis nullus est fructus. Pecuniam aliquando repetere conceditur, sed debitum peccatorum, venia, petenti nunquam iuste negatur. Hec ille.

Donum Spiritus sancti, quod petimus, est sciencia, id est "spiritus sciencie, quo delicta intelligimus, que sine spiritu sciencie non intelliguntur. Sciencia quippe ad usum temporalium pertinet, que virtus est in vitandis malis et B 242v petendis bonis, ut nostra et aliorum contagia ploremus, bona capiamus", | ut dicit glossa ordinaria[231]. Unde virtus sequens dicitur luctus, beatitudo consolacio, vicium oppositum invidia.

Est autem invidia odium aliene felicitatis respectu inferiorum, ne sibi equantur, respectu superiorum, quia eis non equatur, respectu parium, quia sibi U 75v equantur. Unde Cain invidit fratris prosperitati, | Rachel Lye fecunditati, Saul

**2354** et penam] et quantum ad penam *B* **2358** dimittimus *om. B* ut dicit] quod dicit *B* **2361** a quo forsitan est lesus] de quo forsitan lesus est *B* **2365** homines *om. B* **2367** Cristus docuit] docuit Cristus *B* **2370** sed que] sed qua *U* **2372–2376** Item Augustinus... Hec ille *om. B* **2383** odium *om. U* **2385** prosperitati] prosperitatem *U*

[229] Pseudochrysostomi *Opus imperfectum in Matthaeum* (MPG 56, 714).

[230] Cf. Aurelii Augustini *Sermones* (MPL 38, 396).

[231] Walafridi Strabonis *glossa ordinaria* ad Mt 6, 12 (MPL 114, 102).

David felicitati. Per invidiam procuratus est lapsus mundi et mors. Hec Ciprianus in quodam sermone[232]. – Augustinus in libro 1 De doctrina cristiana inquit[233]: "Invidia est vicium dyabolicum, quo solus dyabolus reus est, et inexpyabiliter reus. Non enim dyabolo, ut dampnetur, dicitur 'adulterium conmisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti, sed homini stanti invidisti' ". Hec ille. Sic secundum Gregorium XIII Moralium[234]: "Dum electi proficiunt, reprobi ad rabiem furoris excitantur, et bona nascencia, que imitari nolunt, persecuntur". Qui de bono alterius affligitur, quasi de radio solis excecatur. Propositum sanctum lacerant invidi, et pene sue remedium arbitrantur, si nemo sit sanctus. Hec Gregorius.

Ex quibus dictis patet, quod invidia habet duas species. Versus:

Si bona, tristaris, mala si sint, indeque gaudes.
Si bona continua, fit semper mens tua tristis.

Prima igitur species invidie est dolor et tristicia de felicitate alterius. Hec species generat tristiciam in corde invidi. Unde dicit Prosper libro III De viciis et virtutibus[235]: "Tantos invidus habet iuste pene tortores, quantos habuit, cui invidet, laudatores". Unde Crisostomus super illud Mathei "indignati sunt" etc. dicit[236]: "O invidia, que sibi semper es inimica! Namque | qui invidet, sibi *U 75v* quidem | ignominiam facit, illi autem, cui invidet, gloriam parat". Et dicit *B 243r* Seneca in libro De moribus[237]: Nunquam melius torquebis invidos, quam virtuti et glorie serviens. Utinam invidi oculos haberent in omnibus civitatibus, ut de omnium felicitatibus torquerentur! Nam quanta felicium sunt gaudia, tanti invidorum sunt gemitus. Et sequitur[238]: "Venenum, quod serpens in alienam perniciem effudit, sine sua continet; non ita vicium invidie continetur: nam invidum torquet et macerat, bona odit et extenuat, iniurias vero dilatat atque auget". Hec Seneca. Quia secundum Petrum Ravenatem[239] invido vultus rugax, curvus aspectus, palor in facie, in labiis tremor, in dentibus stridor, verba rabida, effrenata convicia, et manus ad violenciam promta.

**2387** Augustinus] Ideo Augustinus *B* **2388** Invidia est] est *om. B* **2390** stanti] standi *B* **2393** persecuntur] persequentur *B* **2400** Hec species] Et hec species *B* **2402** Tantos] Tanto *U* **2409–2410** serpens... effudit ...continet] serpentes... effudunt ...continent *B, Sen.* **2412** Ravenatem] Ravanensem *B*

[232] Thascii Caecilii Cypriani locum non invenimus; cf. librum huius auctoris *De zelo et livore* (MPL 4, 634 sqq. specialiter col. 640–642).
[233] Aurelii Augustini *Sermo de disciplina christiana* (MPL 40, 673).
[234] Gregorii Magni *Moralia* (MPL 76, 468).
[235] Juliani Pomerii *De vita contemplativa* (MPL 59, 480).
[236] Pseudochrysostomi *Opus imperfectum in Matthaeum* (MPG 56, 847).
[237] L. Annaei Senecae locos non invenimus.
[238] L. Annaei Senecae *Ep.* 81, 22–23.
[239] Petri Chrysologi locum non invenimus.

Unde secundum Liram $2^{i}$ Regum XX[240]: “Invidia inpellente Ioab occidit Amazam, timens, ne ei equaretur, quia David ei mandaverat, ut magister milicie esset coram eo omni tempore”. Et secundum eundem Danielis[241] II “non vocabantur Daniel et socii eius, licet sapienciores erant ariolis et magis; et hoc fuit ex invidia, quia cum essent Iudei, dolebant Babilonii, quod magis U 76 r° appreciarentur a rege. Similiter ex cupiditate, quia per exposicionem | credebant dona et honorem consequi”. Et dicit Rabi Salomon Hester V[242], quod “ideo Hester solum Aman cum rege invitavit ad hoc, ut alii principes magis moverentur invidia et odio contra ipsum, videntes, quod sicut habebat erga regem graciam specialem, ita crederent eum regine familiarem, et sic postea pro eo non starent, sed magis de eius eieccione gauderent”. Sic secundum eundem B234v Iob | 1 demon invidus conmendacionem sancti Iob[243] non poterat sustinere, et ergo nititur eam diminuere. Et secundum eundem Matthei XXI super isto “Hic est heres[244]”: Eodemmodo dictum est de Iudeis, quod habuerunt veram estimacionem de Cristo in principio in habitu et in actu, sed quando incepit contra eos predicare, excitati fuerunt contra eum, passionibus impediebantur ab actuali consideracione veritatis prehabite de Cristo, et ideo machinati sunt in eius mortem; sicut et incontinens, propter passionem concupiscibilis, eligit fornicare, quod tamen alias refugeret, etc., ut ibi per eundem, et Ioannes Crisostomus de imperfecto[245].

Alia species invidie est leticia de adversitate alterius, et hec in corde invidi generat leticiam, ut legitur de quodam rege duos servos habente, unum invidum, alterum avarum, conductos, scilicet ut precium, quod uni eorum U 76 r° daret, alteri duplicaret. Tempore igitur solucionis | avaro nolente postulare propter suam avariciam, data fuit postulandi potestas invido, ut postularet, quantum vellet; et sic socio suo duplum daretur. Qui invidens socio de prosperitate, postulaverit, ut oculus unus sibi erueretur, et socio suo duplum daretur, scilicet ut ambo sibi eruerentur oculi. Sic dicitur factum fuisse. Secundum enim Augustinum De conflictu viciorum et virtutum dicit invidia[246]: “In quo illo vel illis minor es, cur ergo eis equalis vel superior non es? Quanta vales, que ipsi non valent? Non igitur tibi aut superiores aut equales esse debent”. – Et sic invidia est filia superbie. Superna concordia respondit:

2422 ideo] non *U* 2423 erga] ergo *B* 2429 incepit] incipit *B* 2431 prehabite] prehibite *B* 2433 refugeret] refugerat *B* 2435 et hec] et hoc *U* 2437 alterum] alium *B* 2443 dicit invidia] dicit *om.* *B*

240 *Postilla* Nicolai de Lira ad *2. Reg.* 20, 9–10.

241 *Ibidem* ad *Dan.* 2, 2.

242 *Ibidem* ad *Est.* 5, 4.

243 *Ibidem* ad *Job* 1, 6.

244 *Ibidem* ad *Mt* 21, 24 et *Mc* 12, 7.

245 Cf. Pseudochrysostomi *Opus imperfectum in Matthaeum* (MPG 56, 855–856).

246 Pseudoaugustini *De conflictu vitiorum et virtutum* (MPL 40, 1095); vide quoque infra v. 2447–2452.

"Si ceteros virtutibus antecellis, tucius in loco ymmo | quam in summo temetipsum conservas; semper enim de alto peyor fit ruina. Quod si tibi, ut asseris, quidam superiores vel equales sunt, quid te ledit, quid tibi nocet? Cave prorsus, ne, dum aliis locum celsitudinis invides, illum imiteris, de quo scriptum retines: invidia dyaboli mors intravit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius". Hec Augustinus. *B 244 r*

Ex invidia enim peccata in Spiritum sanctum oriuntur, scilicet invidencia superne gracie, quod sit alicui exosa, impugnacio veritatis agnite, obstinacio et presumpcio, | desperacio, finalis impenitencia. Versus: *U 76 v*

Invide impug. ob. pre. desper. finaliter impen.,
hec mala sex fieri defendit Spiritus almus.

Rami invidie habentur notanter in isto versu:

O. sus. dene. dis. ac. sub. pro. dat invidia.

Primus igitur ramus invidie est odium. Est autem odium mala voluntas et rancor in anima latens, quibus verbo vel loquela proximo negatur eius bonum vel promocio impeditur, dampnum vel depressio eius procurantur. Sed secundum Augustinum De diffinicionibus[247] odium est vetus ira ex pluribus casis collecta diuturno tempore perseverans, quia secundum eundem[248] super Mattheum in conparacione odii ira festuca est, sed festucam si nutrias, trabs erit, si evellas et proicias, nichil. Unde dicit Bernhardus[249]: "Nescit iudicium amor et odium". Concordat Crisostomus De imperfecto Matthei XXII super illo Diliges dominum Deum tuum etc., inquiens[250]: "Perfectum odium et perfectus amor verum iudicium non cognoscit. Utputa, si perfecte odis aliquem, qualiacumque fuerint aput illum, omnia tibi displicent, sive que dicit sive que agit; etsi vere bona sint, tamen tibi | mala videntur". Ideo dicit *B 244 v*
Ieronimus[251]: Odium a regno Dei separat, a celo subtrahit, a paradiso eicit. Odium nec passione adimitur nec martirio expiatur, quia secundum Psalmistam (*Ps. 73,23*) "superbia | eorum, qui te oderunt, ascendit semper". Sic *U 76 v*
secundum Crisostomum ubi supra "si perfecte aliquem amas, quecunque sunt aput eum, placent tibi, sive que loquitur, sive que agit; etsi mala sunt, tamen tibi bona videntur" etc. Et oritur odium ex invidia et ex iniuria illata, ex malicia cordis sine causa aliqua, ex cupiditate, dum quis vult et affectat mortem aliorum, ut possessiones habeat. Versus:

**2454** et presumpcio] et *om. B* **2458** habentur notanter] notantur *B* **2462** vel depressio] vel *om. B* **2463** De diffinicionibus] Deffinicionibus *B* **2465** festuca-festucam] vestuca-vestucam *B* nutrias] nutrires *B* **2470** sive que dicit] ut sive que dicit *B* **2474** eorum *om. B*

[247] Cf. Aurelii Augustini *Sermones* (MPL 39, 1872: MPL 38, 397).
[248] Cf. Aurelii Augustini *Sermones* (MPL 38, 1054).
[249] Bernardi Claraevallensis *Tractatus de gradibus humilitatis* (MPL 182, 949).
[250] Pseudochrysostomi *Opus imperfectum in Matthaeum* (MPG 56, 873); vide et infra lin. 2475.
[251] Hieronymi locum non invenimus.

Invidi. et iniur. ma. sup. super odia gignunt.

Ideo dicitur Genesis XXVII (*Gen. 27, 41*): "Oderat Esau semper Iacob pro benediccione, qua benedixerat ei pater", et Genesis XXXVII (*Gen. 37,4*): "Videntes fratres, quod Ioseph a patre cunctis fratribus plus amaretur, oderant eum nec poterant ei quidquam pacifice loqui", quia secundum Liram ibidem[252] "odium et contencio erat inter fratres, et hoc vocatur crimen pessimum, quia sicut fraterna caritas quid optimum dicitur, ita e contrario odium fratrum crimen pessimum nominatur". Unde dicit Salvator Iohannis XV (*Joh. 15,18*) "Si mundus vos odit" etc., et 1. Ioh. III (*1. Joh. 3,13*) "Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus", et Matthei X (*Mt 10,22*) "eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum". Sed "beati eritis, cum vos oderint homines" Matthei V (*Mt 5,11; Lc 6,22*), et "ve vobis, cum benedixerint vobis omnes homines", Luce VI (*Lc 6,26*). Et de bono odio dicit Gregorius in *U 77r* Omelia[253]: "Tunc bene animam nostram odimus, cum eius carnalibus | desideriis non acquiescimus, cum eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamus". Et de isto vide Luce XIIII ante finem (*cf. Lc 14, 26*). Unde dicit Augustinus in De conflictu viciorum[254]: "Odium dicit: Absit, ut illum ames, *B 245r* quem in omnibus contrarium habes, qui tibi derogat, qui tibi insultat, | qui te conviciis exasperat, qui tibi peccata tua inproperat, qui te dictis, operibus, atque honoribus semper prevenire festinat. Nisi enim tibi invideret, nequaquam se tibi ita preferret. – Dileccio respondet: Nunquid hec, que narras, odio habenda sunt in homine? Propterea non est ymago amanda in homine, sed ymago Cristi. In cruce positus inimicos suos dilexit, ante crucis tormentum conmonuit, dicens Diligite inimicos vestros. Omnem ergo amaritudinem carnis evome, et quo pacto valueris, caritatis dulcedinem sume. Nichil enim illa suavius, nichil beacius". Hec Augustinus. Ad hoc dicit Crisostomus super Matthei XXII[255], quod "sicut rex in ymagine sua honoratur, sic Deus in ymagine hominis diligitur et oditur. Non potest hominem odire, qui Deum amat, nec potest Deum amare, qui hominem odit". Concordat in canonica Iohannis in multis locis. Et Crisostomus super illud Psalmi "Perfecto odio oderam illos" inquit[256]: Perfectum odium est homines diligere et eorum vicia *U 77v* | semper horrere. Nam in illa parte, qua creatura Dei sunt, amandos esse non dubium est, in iniquitate horrendi sunt, in qua se polluerunt. Tales placere non

**2480** super] sub *U* **2481** Iacob *om. U* **2486–2487** quia sicut... crimen pessimum *om. B* **2489** odio] odium *B* **2500–2502** Nunquid... Cristi. In cruce *U, B*], Numquid quia hec que narras, odio habenda sunt in homine, propterea non est amanda Dei imago in homine? Sicut Christus qui in cruce *MPL* **2501** ymago amanda] amanda ymago *B* sed] sicut *U* **2503** conmonuit] amonuit *B* **2507** ymagine hominis] homine *B* **2510** odium *om. B*

252 *Postilla* Nicolai de Lira ad *Gen.* 37, 4.
253 Gregorii Magni *Homiliae in evangelia* (MPL 76, 1276).
254 Pseudoaugustini *De conflictu vitiorum et virtutum* (MPL 40, 1095).
255 Pseudochrysostomi *Opus imperfectum in Matthaeum* (MPG 56, 847).
256 In Chrysostomi *Expositione Psalmi CXXXVIII* (MPG 55) non invenimus.

possunt, nisi eis, qui factis similibus implicantur. Ideo dicit Lira Isaie XXI[257]: "Odivit propheta Babiloniorum maliciam, diligebat tamen naturam, et ideo compaciebatur miserie eius, quam videbat futuram". Et idem Ieremie XXIII inquit[258]: "Conpaciebatur Ieremias sacerdotum nature propter mala, que videbat eis imminere, licet eorum culpam odiret". Sic Salvator noster, videns civitatem, flevit super illa, ut Luce XIX (*Lc 19, 41*). Licitum est enim odire | vicia, LXXXVI distinccione, Odio (*D.86 c.2, Fr. I. 298*), XXIII q. IIII Duo *B245v* ista (*C.23 q.4 c.35, Fr. I. 915–916*), 1 q.1 Odit (*C.1 q.1 c.62, Fr. I. 381*), et IIII q. 1 Odi (*C.24 q.1 c.28, Fr. I. 977*).

Secundus ramus invidie est susurracio, et dicitur a "susuro,-as", id est murmuro. Inde susurracio. Inde sussurium, -ii, et est, quando aliquis latenter et sub silencio dicit malum de aliquo. Et huiusmodi dicitur maledictus, Ecclesiastici XXVIII (*Eccli. 28, 15*): "Susurro et bilingwis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes" etc. Plura de eadem materia ibidem, et Ecclesiastici XXI et V, et Proverbii XXVI (*Eccli. 21, 30–31; Eccli. 5, 16–17; Prov. 26, 20–22*).

Tercius est detraccio, et est alterius mala occulta publicare vel mala audita augmentare, crimina falsa imponere, bona occulta negare, | bona manifesta *U77v* minuere, bona in mala convertere. Et dicit Anshelmus De similitudinibus[259]: "Detraccio est, quandocumque quis aliquid ea intencione de aliquo dicit, unde minus amari vel appreciari possit". Secundum Liram enim Exodi XIII[260] detractor quandoque incipit a conmendacione persone, cui vult detrahere, ut per talem conmendacionem inclinet corda audiencium ad credendum, quod in dicendo mala de illa persona non moveatur odio, sed veritatis amore, et sic sibi magis credatur, sicut fecerunt exploratores, ut ibidem patet. Et dicitur VI q.1 Ex merito (*C.6 q.1 c.13, Fr. I. 557*), quod "deteriores sunt, qui vitam moresque hominum corrumpunt, hiis, qui substancias aliorum prediaque diripiunt". Et sequitur: "Qui famam alterius dampnat, raptor dicitur". Et XLIII distinccione, In mandatis, dicitur (*cf. D.43 c.2, Fr. I. 155*): Margaritha ante porcos proicitur, cum inmundis | et detractoribus sacramenta conmittuntur. De detrahentibus *B246r* vide XI q. III Inter verba (*cf. C.11 q.3 c.55, Fr. I. 658*). Unde Ieronimus[261]: Lacerant sanctum propositum et remedium pene sue arbitrantur, si nemo sit sanctus, si ab omnibus detrahatur, si turba sit peccancium et multitudo

**2513** factis similibus] verbis similibus *B* implicantur] sed implicantur *B* **2523** susurracio] susurracio, id est murmuracio *B* **2524** Et huiusmodi] et *om. U* **2526** Plura] Recitatur plura *B* **2533** appreciari] minus appreciari *B*

[257] *Postilla* Nicolai de Lira ad *Is.* 21, 3.
[258] *Postilla* Nicolai de Lira ad *Jer.* 23, 9.
[259] Eadmeri Cantuariensis monachi *Liber de s. Anselmi similitudinibus* (MPL 159, 686).
[260] In Nicolai de Lira *Postilla* non invenimus.
[261] Hieronymi locum non invenimus.

peccancium. Idem dicit in maiori Breviario super Psalmo[262]: "Tanta est distancia inter fornicantem et detrahentem, quod ille, qui fornicatur, se tantum U 77 v interficit, | ille autem qui detrahit, se et auditorem". Et Bernhardus super Cantica[263]: "Unus est detractor, qui loquitur, et unum verbum tantum loquitur, et tamen unum verbum uno in momento multitudinis audiencium dum aures transfigit, animas interficit". Et Augustinus super Iohannem[264]: "Homicida dyabolus dicitur non quia gladio armatus vel ferro accinctus ad hominem veniat, sed quia malum verbum seminavit. Noli ergo putare te non esse homicidam, quando fratri utique male perswades". Et Anshelmus[265]: "Tria sunt genera homicidii, que pari plectuntur pena: interfeccio fratris, detraccio, odium". Ideo II q. VII Accusacio (*cf. C.2 q.7 c.15, Fr. I. 486*) dicitur: Detractor nisi se correxerit, flamis exuretur, et qui facilis ad detrahendum, non admittitur ad accusandum et testandum, ut III q. IIII Detractores (*cf. C.3 q.4 c.10, Fr. I. 514*), et V q. V Illi qui (*cf. C.5 q.5 c.4, Fr. I. 550*). Unde Augustinus De verbis Domini sermone LX[266]: Quomodo irasceris alteri, quando loquitur mala de te, sic irascere tibi, quando loqueris mala de alio. Et Bernhardus[267] De consideracionibus inquit: "Detrahere aut detrahentem audire, quid horum B 246 v dampnabilius | sit, non facile dixerim". Augustinus De verbis Apostoli[268]: Non U 78 r accomodes aures tuas ad percipiendum | verba detrahentis, ne concipias mortem in anima tua. Detrahenti enim et audienti utriusque esca est mors anime. Et ut brevius concludam, detractor et libens auditor dyabolum portant in lingwa. Hec ille. Et secundum eundem De conflictu viciorum et virtutum[269]: "Detraccio dicit: Quis potest sustinere aut silencio tegere, quanta illa vel ille prava conmittit, nisi forte qui consentit? Libertas iuste increpacionis respondet: Nec tacenda sunt mala proximi nec consencienda, sed caritate fraterna in faciem proximus redarguendus; et ita nonnunquam errata delinquencium ad tempus silencio tegenda sunt, ut apciori tempore corrigantur". Diceres: "Testem habes Deum in celis, non sit tibi cure, quid de te suspicentur in terris. Respondet satisfaccio: Non est danda detrahendi occasio, non susurrandi suspicio, sed manifestanda si sunt que, corrigantur, aut si certe desunt, humili

**2549** Cantica] Canonica Iohannis *U* **2557** facilis ad] facilis est ad *B* **2564** accomodes] accomedas *B* **2565** Detrahenti enim et audienti] Audienti enim et detrahenti *B* **2566** portant] portent *B* **2572** ut apciori] et apciori *B* **2573** suspicentur] suscitentur *B* **2575** si sunt] si sint *U*

262 Hieronymi *Breviarium in Psalmos* (MPL 26, 1126).
263 Bernardi Claraevallensis *Sermones in Cantica* (MPL 182, 896).
264 Aurelii Augustini *In Johannis evangelium* tr. XLII (MPL 35, 1704).
265 Eadmeri Cantuariensis monachi *Liber de s. Anselmi similitunibus* (MPL 159, 685).
266 Aurelii Augustini locum non invenimus.
267 Bernardi Claraevallensis *De consideratione* (MPL 182, 756–757).
268 Aurelii Augustini locum non invenimus.
269 Pseudoaugustini *De conflictu vitiorum et virtutum* (MPL 40, 1095–1096: 1097); vide et infra lin. 2573–2576.

protestacione neganda". Hec Augustinus. Unde Apostolus (*Rom. 12,18*): "Cum omnibus pacem habentes, quantum ex vobis est".

Quartus ramus invidie est nequicia, dum quis amat proximi malum et odit eius bonum, et procurat sibi callide malum.

Quintus est inter fratres discordiam seminare vel discordiam seminatam vel ortam nutrire vel concordiam fraternam | dissipare et destruere. U 78r

Sextus est accusacio prava, scilicet dum quis accusat aliquem eciam de vero, sed mala intencione, quia si sibi non inviderent, non accusarent, | sicut B 247r Iudei mulierem in adulterio deprehensam.

Septimus est subtraccio debiti beneficii, consilii vel adiutorii, ut si video illum, cui invideo, in periculo, et subvenire possem et non subvenio.

Octavus est prodicio, dum quis simulat se diligere vel odire, ut forcius et caucius noceat, ut, dum dat fraudulenter consilium malum, ut ille, cui invidet, in laqueum et confusionem cadat.

Et tantum de 5ª peticione.

Sexta peticio oracionis dominice tangitur ibi "et ne nos inducas in temptacionem", ubi dicit Lira[270], quia "secundo impedit nos a beatitudine peccatum, quod formidatur de proximo conmittendum, et hoc contingit, quando sumus positi in gravi temptacione, cui probabiliter timemus succumbere, et ideo sexto petimus hoc a nobis amoveri, cum dicimus Et ne nos inducas". Augustinus[271]: Non quod ipse inducat, sed quia deserit et ire permittit, id est secundum glossam intelinearem (*ad Mt 6,13*) "ne nos deserens in temptacione sinas vinci, etsi sinas temptari, sine qua nullus probatus est", quia secundum Liram "non petimus, ut non temptemur, quia temptari non est malum, sed | magis ad virtutis exercicium, quando viriliter resistitur. Unde U 78v Psalmus: Proba me, Deus, et tempta me. Sed petimus, ne in temptacionem inducamur, id est ne ab ipsa devincamur".

Donum igitur Spiritus sancti, quod petitur, est pietas, virtus manswetudo, beatitudo possessio terre, vicium oppositum ira. Est autem duplex ira secundum Gregorium V Moralium[272], scilicet per zelum et per vicium. Wersus:

Zelum cum vicio quod transit vel veteratur,
hoc faciunt, quod cor ire macula maculatur.

Ira per zelum | ex virtute formatur, oculum mentis perturbans, cum nobis ex B 247v proximis delinquentibus irascimur. Si enim proximos ut nos diligere precipimur, eorum viciis sicut nostris irasci debemus. Hec Gregorius.

Ad idem Crisostomus super Mattheum Omelia XXIII inquit[273]: Si ira non

**2585** debiti] dediti *B* **2590** Et tantum de 5ª peticione *om. B* **2592** impedit] impendit *B* **2595** et ideo sexto] ideo *om. B* **2602** id est *om. B*

[270] *Postilla* Nicolai de Lira ad Mt 6,13; vide infra v. 2599–2602.
[271] Aurelii Augustini locum non invenimus.
[272] Gregorii Magni *Moralia* (MPL 76, 726).
[273] In Chrysostomi homiliis in Matthaeum non invenimus (cf. MPG 57, 248; MPG 55, 50).

fuerit, nec doctrina proficit nec iudicia stant nec crimina conpescuntur. Paciencia enim irracionabilis vicia seminat, negligencia nutrit, et non solum malos, sed eciam bonos ad malum invitat. De hoc vide, ut scribit idem De imperfecto super illud Matthei V Qui autem irascitur fratri suo etc[274]. Sic dicitur de Cristo Marci III, quod cum interrogasset, an liceret sabbatis bene facere an male, et illi tacuissent, "circumspiciens eos cum ira, contristatus super cecitatem cordis eorum" (*Mc 3, 4–5*). Sic dicitur Iohannis II, quod cum eiecisset vendentes et ementes de templo, "recordati sunt discipuli eius, quia scriptum est Zelus domus tue comedit me" (*Joh 2, 17*) et Luce XIII U78v | "accesserunt quidam phariseorum, dicentes illi Exi et vade hinc, quia Herodes vult te occidere, ait illis: Ite et dicite vulpi illi" etc. (*Lc 13, 31–32*). Sic et multiplex ve scribis et phariseis ypocritis dixit, ut Matthei XXIII (*Mt 23, 13–32*). Unde ille peccat, qui non irascitur viciis proximi, sicut faciunt illi, qui non solum viciis magnatum non irascuntur, sed applaudunt, et applausu suo eos in peccatis nutriunt, defendunt et excusant. – Et de isto vide in materia de usuris, ubi dictum est de linitoribus et venditoribus olei et adulatoribus[275].

Ideo dicit Psalmus (*Ps. 4,5*): "Irascimini et nolite peccare": irascimini B248r contra peccata vestra et | proximorum, et nolite peccare peccatis applaudendo, quia dicit Crisostomus[276]: "Non dolere quia peccaveris magis indignari atque irasci facit Deum quam idipsum, quod ante peccaveras". Ad idem Seneca inquit[277]: Tunc incipimus aliis irasci, cum nobis desumus. Finis namque ire inicium est penitencie.

Alia est ira per vicium, que secundum Gregorium[278] oculum mentis excecat, et est secundum Cassiodorum[279] "motus animi concitati, ad penam provocans inferendam". Augustinus De civitate Dei dicit[280]: "Iram nichil aliud quam ulciscendi libidinem veteres diffiniunt". Idem De conflictu viciorum hoc declarans per modum dyalogi inquit[281]: "Ira dicit: Que erga te U79r aguntur, equanimiter ferre non potes, ymo pacienter | hoc tolerare peccatum est, quia etsi eis cum magna exasperacione non resistitur, contra te deinceps sine mensura cumulantur. Paciencia respondet: Si passio Redemptoris ad

2614 idem *om. U* 2622 ait] dicit *B* illi] huic etc. *U* 2625 magnatum] sed magnatum *B* 2629 vestra et *om. B* nolite] vero nolite *B* applaudendo] applaudando *B* 2634 est *om. U* 2637 diffiniunt] diffiniunt. Idem in epistola *B* 2638 dyalogi] dyaboli *B* 2639 pacienter hoc] hec pacienter *B* peccatum est] est *om. U*

[274] Pseudochrysostomi *Opus imperfectum in Matthaeum* (MPG 56, 689–690).
[275] Nicolai Dresdensis *De usuris*, ed. De Vooght, 194–195.
[276] Johannis Chrysostomi *Expositio in Psalmos* (MPG 56, 52).
[277] L. Annaei Senecae locum non invenimus.
[278] Gregorii Magni *Moralia* (MPL 76, 726).
[279] M. Aurelii Cassiodori *Expositio in Psalterium* (MPL 70, 61).
[280] Aurelii Augustini *De civitate Dei* 1.14 c.25 (MPL 41, 424).
[281] Pseudoaugustini *De conflictu vitiorum et virtutum* (MPL 40, 1096).

mentem reducitur, nichil tam durum, quod non equo animo tolleretur. Cristus enim, ut ait Petrus, pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius. Sed quanta sunt hec in conparacione illius, que patimur? Ille enim obprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucem quoque sustinuit; et nos miseri ad nostram confusionem uno sermone fatigamur, uno sermone deicimur". Hec Augustinus.

